Feinden der Warheit zu trotz vnser Jubelfest mit frewden halten: Vnnd gleich wie D. Luther / da jhn der Bapst in Bann gethan/ vñ seine Bücher verbrennen lassen/ hinwiderumb allhier zu Wittenberg fürm Elsterthor ein Fewer anzündete vnnd das Geistliche Bäpstliche Recht sampt des Bapsts Bulla hinein warff/ vnd mit grossem Elyschen eyfer dabey sagete/ wie dort Josua dem Achan ein epicedium machet. Weil du vns betrübet hast/ so betrübe dich der HERR an diesem tage Josuae 7. Also wollen wir auch desto frölicher die Evangelische Jubelposaun auffs newe anstimmen/ je grimmiger der leidige Satan vnnd seine Werckzeuge/ sich zu diesen letzten zeiten stellen.

Las zürnen Teuffel vnd die Hell/ GOttes Sohn ist worden vnser Gesell/ vnd wenn die Welt voll Teufel wer/ vñ wolt vns gar verschlingen: So fürchten wir vns nicht so sehr/ es sol vns doch gelingen. Wie D. Luther mit frewdigem hertzen aus dem 46. Psalmen gesungen / auch da er anno 1521. gen Wormbs für dem Keyser vnd dem gantzen Reiche sich stellen müssen/ an Ern Spalatinum geschrieben: Er wolte gen Wormbs/ vnd wenn schon so viel Teuffel darinnen weren/ als Ziegel auffn Dächern.

Entlich aber vnd zum Beschlus / so sol vns zu der vorhabenden Glückwünschung auff vñ anmuntern Domus Dei dignitas, das GOTT sein Haus vnnd Kirche vnter vns erbawet hat: Davon saget David also: Vmb des Hauses willen des HERRN vnsers GOTTES wil ich dein bestes suchen. Wir haben droben gehöret/ wie GOTT sein Haus

vnter vns/nun fast bey 100. jahren gebawet hat / da wil vns anders nicht gebühren/ deñ das ein jeder in seinem standt Ziegel/ Kalck/ Stein/ Holtz vnd anders zutrage / was zu erhaltung vnd vollziehung des Geistlichen Kirchbawes von nöten ist. Vnd zwar was die Prediger in jhrem Stand vñ Ampt thun sollen/das wird zu anderer zeit vnd gelegenheit gesagt/ Die Christliche Obrigkeit / mus es an jhrem fleis auch nicht erwinden lassen. Dem hochlöblichen Keyser Constantino wird sehr herrlich nach gerhümet/das er nicht alleine viel stattliche Kirchen zu Constantinopel vnd anderswo gebawet / vñ da der berhümbte Tempel Michaëlium genandt fundiret ward/ das der Keyser mit eygener Hand den ersten Stein geleget/sondern auch das er vber der reinen gesunden Lehr/ wider allerley Ketzerey standhafftig gehalten. Hiram der König zu Tyro wird in der H. Schrifft von dem H. Geist gerhümet/das er dem Könige Salomon zum Tempelbaw grosse beförderung gethan/ 1. Reg. 5. Von Churfürsten Johannes Christmilder gedechtnis / bezeugen die Historien / da er auff den Reichstag hat gen Augspurg ziehen/ vñ daselbst wegen der Lehre/die in diesen Landen getrieben werd / für dem gantzen Römischen Reich antwort geben wollen / das er die Theologen vermanet / sie wollen die sache wol erwegen/ ob vnsere Lehre also beschaffen vnd in GOttes Wort gegründet were / das sie darbey zu leben vnd zu sterben gedechten. Als nun D. Luther vnd die andern Theologen Jhr Churfürstlichen Gnaden zur antwort gaben/ Sie wüsten von der einmal erkanten vnd öffentlich bekandten Himlischen Warheit

Wz Christliche Obrigkeit bey fortsetzung der reinen Lehr zu thun schuldig sey.

Exempla etlicher Christlicher bestendiger Regenten.

nicht abzuweichen/baten aber darneben/das jr Churfürstliche
Gnade sich jhrenthalben in keine gefahr vñ beschwerung setzen
wolte/ sie weren bereit für jhre Person für Keyserliche Ma-
jestet zu erscheinen/vnd jhres Bekentnis vñ angestelleter Re-
formation rechenschafft zugeben. Darauff sol der Christliche
Regent mit brennendem ernst gesagt haben/ das sey fern / vnd
das verhüte Gott/ das Ich mich wolte von euch trennen las-
sen: Wolt jhr mich denn nicht vnter ewerm mittel haben?
Es mus anders nicht hergehen / Ich wil mit euch zugleich
Christum meinen HErrn öffentlich bekennen. Vnd in we-
renden Reichstage lies er den anwesenden Theologen offte
durch seine Räthe zu entbieten / saget meinen Gelerten/ das
sie thun was recht ist/Gott zu lob vnd ehre/vñ mich oder mein
Land vnd Leute nicht ansehen. Wie D. Luther in Tischre-
den bezeuget. Vnd alle drey Gottselige hochlöbliche Churfür-
sten/Churfürst Friderich/Churfürst Johannes/ vnd Chur-
fürst Johan Friderich Christmildester gedechtnis/füren alle
dreye an stat jhres Symboli / den Spruch Esa. 40. welcher
hie an der Cantzel geschrieben stehet: Verbum Domini ma-
net in æternum. Des HErren Wort bleibet in Ewigkeit.
Gleicher gestalt gebühret allen Christlichen Herrn vnd Po-
tentaten/das sie die erbawung des Hauses GOTtes vnd fort-
pflantzung der Himlischen Warheit / nit nur auff die Theo-
logen vnd Gelerten alleine schieben / sondern auch selber nach
jhrem besten vermögen Handreichung thun / vnd sich der rei-
nen gesunden Lehre mit allem Christlichen ernst annemen/
allermassen wie Gott jhnen hin vnd wider in der Schrifft/

sonderlich Deut. 17. Jos. 1. Psal. 1. 24. befohlen hat / das sie also seyn Pfleger vnd Geugammen der Christlichen Kirchen wie Esaias sagt / Cap. 49.

Wie ein jed Christ das Haus GOt tes sol baw helffen.

Sonsten in gemein sollen alle Christen / vnverdrossene vñ rechtschaffene Bawleute am Tempel Gottes erfunden werden. Zu Strasburg / Beliebte im HErrn / am hohen weitberümten Thurne / stehet oben am Krantze gegen die vier Winde auff nachfolgende weise angeschrieben / als nemlich / gegen Morgen / Christus glorificat, Christus cunctis donat, Das ist / Christus macht herrlich / Christus schencket allen gnediglich. Gegen Mitternacht also / Christus coronat, Christus superat, das ist / der HErr Christus krönet / der HErr Christus vberwindet: Gegen Abendt / Christus rex triumphat, Christus semper regnat, Christus der König triumphiret / Christus der HErr allzeit regieret. Gegen Mittag / Christus & imperat, Christus nos renovat, Christus herrschet / Christus vns vernewert. Diese Bawleute sind billich zu loben / das sie Christum / den anfang / das mittel vnd das ende jhres Kirchbawes gesetzt haben. Also sollen wir nun auch vnsern Geistlichen Kirchenbaw anfangen vnnd continuirn in dem Namen Jesu Christi nach der Regel S. Pauli / Alles was jhr thut mit worten oder Wercken / das thut im Namen Jesu / vnd dancket Gott dem Vater durch jhn / Coloss. 3. Demselbigen vnserm HErrn vnnd Heyland Jesu Christo / sampt dem Vater vnd dem H. Geist / einigem / wahren / Allmechtigen vnd hochgelobten Gott sey Lob / Ehr vnd danck gesagt / von nun an bis in Ewigkeit / Amen.

Ein Christliches Gebet/
welches nach gethaner Predigt ist gehalten worden.

HErr Gott Himlischer Vater/ Allmechtiger Ewiger GOTT/ der du vns diesen heutigen tag des Euangelischen Jubelfests gnediglich hast erleben lassen/ an welchen diese vnsere Vniversitet allhier zu Wittenberg hundert Jahr compliret vnd erfüllet hat/ Wir dancken dir von grund vnsers hertzens/ das du innerhalb solcher zeit durch die Euangelische Jubelposaun deines heiligen Worts/ vnd durch den heilsamen gebrauch der hochwirdigen Sacramenten dein Geistliches Hauß/ Wohnung vnd Tempel vnter vnd in vns auffgerichtet/ den Widerwertigen vnd den Menschen des verderbens den Bapst vnd Römischen Antichrist/ der sich mitten in deinen Tempel als einen Gott gesetzet hatte/ durch den Geist deines Mundes in den hertzen der Gleubigen getödtet/ deine heilige Stadt/ das Himlische Jerusalem oder Christliche Kirche im Lehr/ Wehr vnnd Nehrstande gnediglich widerumb erbawet/ vnd tüchtige Leute zu bestellung Kirchen/ Schulen/ vnd des Weltlichen Regiments vnter vns aufferzihen lassen/ darneben auch friede vnd ruhe verliehen/ das wir haben in deinem Namen können zusammen kommen/ dein Wort predigen vnd hören/ vnd deinen heiligen Na-

men

men loben / ehren vnd preisen / vnd vber das Väterlich versehen vnd verordnet hast / das neben der gesunden Lehre des Evangelij nothwendiger Sprachen vnd freyer Künste / auch gute disciplin ist erhalten / die Iustitia administriret, das böse gestrafft / die tugend belohnet worden. Für diese nu vnd alle andere Wolthaten / so du vns Himlischer Vater gantz vberschwenglich bezeiget hast / sagen wir dir / Lob / Ehr vñ danck in der grossen Gemeine: Vnd bitten ferner / du wollest gnediglich geben vnd verleihen / das es die vbrige Zeit bis an den herzunahenden Jüngsten tag möge wolgehen / O HERR / allen denen die dich in wahrem Glauben lieben vnd anruffen / das friede sey vnd erhalten werde inwendig in vnsern Nawren / das wir wohnen in Heusern des Friedes / vnd in sichern Wohnungen / das wir vns als Brüder mit Brüderlicher vngeferbter Liebe einander lieben / vnd meinen / das wir wandeln in aller Demut vnd Sanfftmut / mit gedult / vnd vertrage einer den andern in der Liebe / auch das wir fleissig sein zu halten die einigkeit im Geist / durch das Band des Friedes / ein Leib vnd ein Geist / wie wir auch beruffen sein auff einerley Hoffnung vnsers berufs. Du wollest / O HERR Jesu Christe / allen Rotten vnd Ergernissen / besonders der Jesuiten / Calvinisten / Sacramentirer / Widerteuffer vnd anderer / so dein heiliges Wort verdunckeln / vnd deinen Namen lestern / stewren vnd wehren: Alle die aus einfalt jrren zur Erkentniß der

Warheit bringen: Die Blutdurstigen anschläge der arglistigen Jesuitischen vnd Papistischen practicanten zu spot vnd zu schanden machen / der grossen erschrecklichen gewalt des Römischen Babsts vñ des Türckens mechtiglich widerstand thun: Vnserm Keyser / Königen / Fürsten vnd Herren / vnd aller Obrigkeit / Insonderheit / vnserm gnedigsten Chur vñ Landsfürsten Hertzog Christiano / seiner Churfürstlichen Genaden Gemahl / der Churfürstl. Witwen / auch Herrn Iohanni Georgio vnd Herrn Augusto / Hertzogen zu Sachsen / Gebrüdern / den Churfürstlichen Fräwlein / vnd dem gantzen hochlöblichen Hause Sachsen / Gnade / Friede vnd gut Regiment bescheren / auff das wir vnter jhnen ein gerügliches vnd stilles Leben führen mögen / in aller Gottseligkeit vnd erbarkeit. Stehe auff Gott / das deine Feinde zerstrewet werden / vnd die dich hassen für dir fliehen. Vertreibe sie wie der Rauch vertrieben wird: Herr zerstrewe die Völcker / die da gerne Kriegen. Sey du Gott vnsere zuuersicht / vñ stercke / eine hülffe in den grossen nöten / die vns jetzt auff allen seiten treffen: verleihe / das die Stadt Gottes deine Christliche Evangelische Gemeine fein lustig bleibe mit jhrem Brünlein / da die Wonungen Gottes des Allerhöhesten sind: Sey du bey vns drinnen vñ hilff vns früh: las dein Schiffelein von dem wüten vnd prausen der vngestümen Mahometischen vnd Papistischen Mehrwellen nicht verschencket vnd erseufft werden / sondern sey du vnser gnedi-

ger Gott jmmer vñ ewiglich/der du vns führest wie die Jugend/ das wir vnter dem schatten deiner Flügel/ für den gifftigen Pfeilen des Teufels vnd aller Feinde mögen verwahret sein: das die heiligen Engel eine fewrige Ringmawr vñ starcke Wagenburg vmb vns schlagen/ vns auff den Händen tragen/ damit wir vnsere Füsse nicht jrgend an einen Stein stossen/ sondern vnanstößig durch dieses Jammerthal hindurch gehen bis zum ewigen leben/ da wir dich Gott Vater/ Son vnd H. Geist/ einigen wahren hochgelobten Gott von Angesicht zu Angesicht ewiglich anschawen/ vnd einen Sabbath an dem andern/ ein Jubeljahr nach dem andern halten/ dich wahren Gott mit allen heiligen Engeln ohne vnterlas loben ehren vnd preisen wollen/ der du lebest vnd Regierest von Ewigkeit zu ewigkeit/

A M E N.

Oratio

D. ÆGIDII HUNNII,

IN QUA PRÆDICANTUR BENEFICIA DEI IN HANC SCHOLAM collata, cumprimis verò beneficium repurgatæ doctrinæ Evangelicæ, & admirandæ protectionis Scholæ hujus, adversus insidias Diaboli, & sanguinarios Anti-christi Romani conatus.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT *Reip. literariæ, nobisq; singulis & universis salutare. illuxit tandem optatus ille dies, qui festum natalitium almæ hujus Academiæ Vitebergensis peragitur, idq; non vulgare, non annuum, sed seculare, atq; sic planè singulare. & quasi novum. quod non nisi centesimo quoque peragitur & frequentatur anno: quam festivitatem nemo eorum qui nunc vivunt, hominum, vidit, nec porrò visurus est; ut de ludis olim secularibus Romani voce præconis ad populum proclamari voluerunt. Hoc tam eximium & augustum festum gravissimis de causis celebrari jussit ac voluit Serenissimus Dux, Saxoniæ Elector, Princeps ac Mecœnas noster clementissimus idem maturo consilio sanxit & indixit Academiæ Senatus amplissimus. Non verò Iubilæum agimus vel Romanum Ethnicum in ludis situm & ociosis spectaculis: vel Romanum Pontificium turpissima indulgentiarum nundinatione infame potius, quã meliore nota celebre: Sed Iubilæum agimus verè Christianũ, id videlicet indictum, ut de Academiæ hujus initio, progressu, incrementis, & per tot rerum humanarum vices tempestates*

miranda Dei protectione, differatur, quo pacto ea ante annos centum, circa has ipsas horas nata, & solenni ritu introductionis velut in cunas reposita sit, quomodoq; paulatim adolescens, in hanc, ut sic loquar, immensitatem excreverit, ut fama gloriaq; sua terrarum orbem compleret, cunctisq; suis hostibus, ipsiq. adeò Pontifici Romano, cum omni eius clientela, formidabilis evaderet.

Cum ergò dicendum sit de admirandis operibus, & beneficiis Dei, seculo praterlapso in hanc almam studiorum matrem, & per hanc in reliquos Christiani nominis populos ubertim collatis: quid vetet, Iubilæum nostrum à Prophetico jubilo Davidis exordiri hoc modo. Venite, exultemus Domino, Iubilemus Deo salutari nostro. Iubilate Domino omnis terra: Cantate, & exultate, & psallite. Psallite Domino in Cithara, in cithara & voce Psalmi, in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ. Iubilate in conspectu Regis Iehovæ: lætentur cæli, & exultet terra, moveatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Flumina plaudant manu, exultent montes à conspectu Domini. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. Venite, magnificemus nomen Domini, adoremus scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

Porrò, quia in hac solennitate summoperè laborandum mihi esse video, ne iustas metas transiliendo, sequentibus actibus, qui restant, tempus præripuisse videar: ipsi mihi brevitatem impero, & cancellos circumdo, intra quos mea sese, nolit velit, coarctet oratio. Et sanè quid quisq; Ducum Elec-

Et orum in hac Schola partim fundanda, partim dotanda, partim locupletanda, partim collapsa restauranda, partim restaurata conservanda & exornanda præclarè laudabiliterq; præstiterit: Id ego vobis non edisseram: Hæ namq; partes carmini, quod audietis, seculari tributæ sunt.

Mei sermonis cardo vertetur in solitum, ut dixi, in prædicandis Dei omnipotentis laudibus pro inenarrabili dono accensæ lucis doctrinæ, paternæ protectionis, aliorumq; beneficiorum, quæ ex perenni scaturigine divinæ bonitatis in V Vitebergicam nostram Academiam, & consequenter in universam Christi veram Ecclesiam exuberantissimè redundarunt. Dicam ergo de primis illius fundamentis & incunabilis Dicam de amplissimis eius progressibus & incrementis, ubi campus se aperiet celebrandi magnum illud opus & arduum, quod è nostra VViteberga in revelatione Antichristi, doctrinaq; cælestis repurgatione, ad innumerabilium animarum perpetuam salutem excelsa Dei omnipotentis dextera perfecit. Dicam porrò, quomodo scholæ huius cymbam inter adversitatum periculorumq; fluctus & procellas, rerumq; vicissitudines horrendas, sapientissimus ille Nauclerus, Deus optimus maximus benignissimè tutatus sit: addito sub finem orationis pio voto, ut hanc suam naviculam porrò etiam ad finem usq; mundi tutam & incolumem præstare velit.

Quod dum facio: tuam Celsitudinem, Illustrissime Dux Auguste, Rector Scholæ huius Magnificentissime, vos, Serenissimi Ducis Electoris, Domini & Mecœnatis nostri clementissimi munificentissimiq;, legatos & Consiliarios, vos Illustres & Generosos Dominos Barones, vos porrò Academiarum, cum vicinarum, tum huius nostræ laudatissimos Proceres, & professores ac antistites celeberrimos, vos item generis splendore, virtutumq; cultu viros eminentissimos, vos omnium

ordinum exopiatissimos hospites, teq; modis omnibus ornatissimam, splendidissimamq; scholasticæ iuventutis Coronam oro & obtestor, ut mihi dicenti, vestram clementiam, favorem, benevolentiam, studium, attentionem & æquanimitatem ad horulæ spatium accommodare non dedignemini. Quod si non omnia vel eo, quo decebat ordine, vel quo par erat, orationis cultu dixero, tribui velim angustiæ temporis, tum negotiorum varietati, quæ manum admotam subinde de tabula, quod dicitur, dimovebant.

Vt igitur à primordiis Academiæ, nostra suum initium capiat oratio, docent historiarum monumenta, quo pacto Serenissimus Imperator Maximilianus, eius nominis primus, in Comitiis, anno, supra millesimum quadringentesimum nonagesimo quinto, celebratis, gravi & sapienti oratione sit hortatus imperij Principes, Electores præsertim, ut cum magna sit ubiq; doctorum virorum raritas, ipsi in hanc curam incumberent, ut in suis ditionibus Academiæ passim per Germaniam erigerentur. Cui & consilio & commonefactioni Princeps FRIDERICVS, qui à sapientiæ laude nomen & elogium sapientis adeptus est, parendum ratus, mox ab eo tempore ad fundandum Vniversale studium, sive Academiam, animum adiecit.

Quam ad rem, præ cæteris huius amplissimi Electoratus oppidis, nostram hanc VVitebergam opportunam esse iudicavit, iam tum, pro sua sapientia præsagiens, immensam ex hac Schola utilitatem ad universam Ecclesiam & Rempublicam Christianam exundaturam esse. Quod præsagium sermone suo verè vatidico confirmans D. Fleckus, Monasticæ quidem Professionis homo, sed qui nullam in omni vita missam celebrasse legitur, ipso die inaugurationis Academiæ pro concione dixisse fertur, ab hoc albo monte (VVitebergam designans) totum orbem Christianum sapientiam esse mutuaturum.

Sic ergo, quod fœlix faustumq; toti Christianitati fuit, & est, &, ut speramus ac precamur, erit etiam ad posteros, ante centum annos, hoc est, Anno millesimo quingentesimo secundo, die, qui Lucæ Evangelistæ sacer antiquitus est, hoc celebratissimum Emporium studiorum solenniter excitatum, introductum, & ut eius ætatis hominibus loquitmos erat, inthronizatum est, primo renunciato Rectore, Martino Pollichio Mellerstadio, qui pòst ad summum honoris gradum in tribus Facultatibus superioribus evectus, & lux mundi nominatus fuit. De hoc percelebri viro refert insignis Theologus Iohannes Mathesius in concione de Luthero prima funebri, quod cum Mellerstadius multò ante, quàm mutatio religionis inciderat, audisset in publica disputatione Lutherum principia Scholasticæ Theologiæ oppugnantem, & demonstrantem, quod scripta Prophetarum & Apostolorum, omni Theologiæ Thomæ, Scoti, Alberti, & aliorum eiusdem farinæ scholasticorum longissimè sint præferenda: Mellerstadius iam tum Lutheri hac de re cum argumentationes, tum solutiones admirari satis non potuerit, & aliquando in mensa in hanc vocem eruperit: hic Monachus universam Ecclesiæ Romanæ reformabit doctrinam. Nam insistit Scripturæ Prophetarum & Apostolorum, quam nulla Sophistica seu Thomistarum, seu Scotistarum, seu Albertistarum, seu aliorum quorumlibet Scholasticorum expugnare potest & evertere.

Hic ergo Mellerstadius, ut dixi, primus fuit Academiæ Rector, & in Facultate Theologica primus omnium Decanatum gessit eximius Magister noster (ut tum dicebantur) Iohannes Staupitius, Augustiniani ordinis Eremitarum Generalis per Germaniam vicarius. De cuius viri laudibus disserere temporis angustia prohibet. Satis est indicasse, quod è tenebris refulgentem Evangelij veritatem suo calculo comprobavit,

bavit, & fidelicorde ſuſcepit. Cuius itidem vox de Luthero memorabilis & vatidica in illis, quas dixi, concionibus Domini Matthesii deſcripta extat. Etenim cum Staupitius Anno 1512. nomine Principis Electoris mandaret Luthero, ut ſummum in Theologia gradum ſuſciperet; Lutherus autem varijs in medium allatis rationibus ſe excuſaret, Staupitius feſtivo vultu reſpondiſſe fertur: Omninò videtur inſtare mira rerum converſio, in qua Domino Deo noſtro multi obÿcientur labores in cælo & in terra, ad quos expediendos, opus erit ſtrenuis & laborioſis Doctoribus, ſive ergo vivas, ſive moriaris, Deus in conſilio ſuo tuam requirit operam. De eodem Staupitio quædam alia inſuper ἀξιόλογα narrantur in Tomis Lutheri, quæ partim piè prudenterq; fecit, partim ſapienter graviterq; dixit.

Sic ergo à probatiſſimis hiſce viris, & purioris doctrinæ amantibus, ſub diverſis officiis, primum velut ortum cepit hæc Academia, ut ex flore potuerit æſtimari, quid ab ea fructuum olim expectandum foret; præſertim quod iam tum ex hac omnis literaturæ officina velut ex equo Troiano homines prodibant, diſciplinarum omnium ſtudiis inſigniter exculti, qui & in Eccleſiaſtico regimine, & in politica gubernatione fructus incredibiles ad bene beateq; vivendum hominibus afferrent: quos nominare ſaltem & numerare foret operoſum nimis & prolixum.

Porrò ſicut in parabola Salvatoris, Eccleſiæ conditio aſſimilatur granoſinapis, quod etſi minimum eſt omnium ſeminum: tamen in terram iactum ſuccreſcit, & fit maius cæteris oleribus, adeò quidem, ut volucres ſub ramis eius nidulentur: ſic idem ad unguem in Academiæ noſtræ incrementis cernere promptum eſt. Nam à tenuibus initiis cæpta mox feliciſſimis augmentis omnium ſpem & expectationem antevertit: evo-

cato nimirum ex Erphordiana Academia, Luthero, ex Tubigensi porrò Philippo Melanchtone: Sub quorum sanctis & indefessis, tametsi distinctis, suo tamen modo coniunctis operis & laboribus, incredibile est, quantum paucorum annorum spacio creverit, & in quantam se diffuderit amplitudinem, ut eius fama non Saxoniæ limitibus, non Germaniæ terminis, non Europæ finibus clauderetur, sed universum Christianum orbem pervagaretur, imò ad astra cœlorum usq; pertingeret: dum & Sacrosancta Theologia pristinum suum adepta decus ex horrendis erroribus regni Pontificij paulatim ad primævam illam ac nativam primitivæ Ecclesiæ Apostolicæ faciem longè nitidissimam revocaretur: Et Philosophia pariter omnis ab inculta barbarie superiorum temporum vindicata in clarissimam lucem emergeret.

De Philosophia sanè dicent alij: ego instituti mei memor intra campum Theologicum me contineo. Quid ergo, quantumque utilitatis ex hoc uberrimo fonte instituta Academiæ ad totam Ecclesiam Dei manarit, infinitum prorsus est, nec libris ullis comprehendi, nec ullius quamlibet excelsæ mentis, cogitatione capi, nedum ulla oratione explicari potest. Considera, obsecro, reformationem insperatam illam & insignem nostris quidem hominibus optatissimam, Pontificatui autem Romano terribilem & exitiosam, quam Deus optimus Maximus ex hac sapientiæ cœlestis arce atque templo fieri clementer voluit. Quis in eius consideratione non liquido videat, duas Civitates ceu duello commissas de Religionis summa belligerari? quis non fateatur, Deum, qui pro divina sua sapientia deligere solet ea, quæ coram mundi oculis ignobilia sunt, abiecta sunt, stulta sunt, & pro nihilo reputantur, hanc VViteberga m, etsi nec amplam, nec populosam, nec imperio superbam, nec ædium palatiorumve magnificentia

conſpicuam, ut nec opibus affluentem, nec florentem potentia, nec rerum anteactis ſeculis geſtarum fama celebrem, ſed parvam, ſed obſcuram, ſed vilem prius & contemptibilem, nihilominus in illo ſtupendo opere deſtructionis regni Antichriſti opponere voluiſſe Celſiſſimæ potentiſſimæq; Romæ, rerum olim Dominæ, pòſt ſub Papatu, quemadmodum inſolenter ſe jactabat, religionis & fidei magiſtræ? Nec oppoſuit tantum, ſed ita ſuis armis inſtruxit, ut & pugnaret feliciter, & gloriosè vinceret, & in DEI oculis, conſpectuq; beatorum Angelorum, totiusq; militantis Eccleſiæ de regno Pontificio fracto debilitatoq; ſplendidiſſimos ageret triumphos? Verè & auſim & poſſim affirmare, hiſtoriis etiam conteſtantibus, non inclytam Carthaginem, Romæ olim æmulam acerrimam, & Monarchiæ orbis terrarum affectatricem vehementiſſimam, tam pugnaſſe feliciter adverſus Romam ſub Ethniciſmo, quàm contra illam VViteberga pugnavit ſub Chriſtianiſmo. Tantoq; maiorem admirationem meretur hoc opus, quanto conſpectior eſt omnium humanarum conditionum diverſitas. Sic enim viſum DEO eſt, ut oppidulum Vrbi, κατ' ἐξοχὴν ſic dictæ, ſeu Orbi verius, ut Cathedram Cathedræ, ut Lutherum inermem armato Pontifici, ut calamum Lutheri totii Antichriſtianæ πανοπλίᾳ, ab omni genere armorum inſtructiſſimæ opponeret, haud aliter atque fundam Davidis olim immani haſtæ gladioq; Goliathi Philiſtæi gigantis oppoſuit. Fuit nequitia regni Pontificij cunctis externis armis ſuperior, ſpiritualis quippe, & in ipſis conſcientiarum vibris altiſſimè defixa & radicata. Proinde potentiſſimi quique Cæſares operam luſerunt omnem, quando carnalibus armis Antichriſtum oppugnabant, & è ſolio deijcere molibantur. Spiritualibus armis opus erat, quibus olim Apoſtoli mundum expugnarunt, nempe verbo Dei, tanquam gladio divini

Spiritus invicto, & in omnem æternitatem insuperabili. Nam Dei Spiritu conficiendus erat Antichristus sine manu, quod Daniel & Paulus, luculentis suis vaticiniis prædixerunt. Lutherus ergo ex suo Musæolo cùm precibus ad Deum, tum salutaribus scriptis suis, in quibus omnipotentis Dei vox è Prophetarum & Apostolorum deprompta libris atque literis sonabat, adversus illam nequitiæ sedem ac pestilentiæ cathedram Apostaticam, stupendum in modum quasi tonabat, & fulgurabat, & fulminabat, & unam post aliam victoriam (successum largiente Deo, & virtutem dante tonitrui suo) reportabat gloriosissimè.

Contemptim Luthero nostro Papicolæ solent obvertere, nullis eum claruisse miraculis: in sua verò Ecclesia (Pontificia) edi signa & prodigia. Valeant illi cum suis prodigiis, quæ à Pseudoprophetis & Pseudochristis editum iri, per cooperationem satanæ, Christus olim discipulis suis prædixit, & Paulus ex Spiritu Sancto pronunciavit. Lutherum quod attinet, satis est miraculi, quod unus ipse propè totius mundi sustinuit impetum, quod solo verbo, sine ullo armorum strepitu, contra omnem humanam potentiam & resistentiam divinum illud salvifica religionis opus, Deo excelso fretus, instauravit, doctrinamq; Christianam, non ab errore uno vel altero vindicavit, sed ab erroribus ad unum omnibus insolidum repurgavit. Eoq; sublimius, meritò censetur opus, quod de illo iam olim Deus non uno modo vaticinari dignatus est. Quod etsi videri possit supra debuisse commemorari: tamen ordine non ita servato scrupulosè, hoc loco referre lubet.

Miramur & meritò quidem, cum legimus, Abrahamo prædictam posterorum servitutem in AEgypto, & ex eadem liberationem; tacitè designato Mose, cuius opera Dominus eam liberationem procuraturus erat. Miramur oraculum Mosis de

Helia Propheta multis antè seculis editum, quàm ille lucem hanc aspiceret, quando tribum Gad ait absconditum habere Prophetam, hoc est, incomparabilem vindicem ac repurgatorem divini cultus, qui suo tempore ad hoc arduum opus expediendum proditurus esset. Miramur Iosiam Regem vaticinio illustri nominatum expresse, qui aliquando (post centum videlicet annos, eoq; amplius) regnaturus, & ossa Sacerdotum Baal super idololatrico altari Bethel exusturus esset: similiter quod Esaias Monarcham, cuius auspiciis atque jussu captivitas Babylonia solvenda foret, nomine designat. Num verò putabimus, de eo, quod nunc celebramus, opere, tam insigni, tamq; memorabili, Deum fuisse mutum, ut de eo nihil vel in Scriptura proderet, vel per homines θεοπνεύστους, pronunciaret? Absurdum hoc & consuetudini Dei ab ultimis seculis usurpatæ contrarium, qui in huiusmodi magnis rebus, quæ totius Ecclesiæ statum complexæ sunt, non facit quicquam nisi revelaverit arcanum suum servis suis Prophetis, ut pastoralis ille Propheta testatur, Amos, cap. 3. Itaque præter illa, quæ supra paucis attigi, & hæc accipite. In Apologia Confessionis Augustanæ sub titulo de votis legitur, quod Iohannes Hiltenius, Monachus, laudatæ vitæ ac sanctimoniæ, à suo sodalitio ob reprehensos quosdam manifestos abusus in carcerem conjectus, dixerit, se has iniurias æquo animo propter Christum tolerare, cum quidem nihil scripserit aut docuerit, quod labefactare statum Monachorum posset, tantum notos quosdam abusus reprehenderit: sed alius quidam, inquit, veniet, Anno 1516. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere. Hac Apologia Conf. August.

Iam de vaticinio glorioſissimi martyris, Iohannis Hussi, Anno Dom. millesimo quadringentesimo decimo quinto quid dicam? Certè Lutherus ipse rebus durissimis, dira moliente

Papa, dira minitante Cæsare, non mediocriter illo se solatus est. Itaq; in sua glossa super Edictum Cæsareum, quod tamen non Cæsari, sed alij cuidam artifici tribuendum censet, scribit his verbis: Sanctus Iohannes Hussus de me vaticinatus est, cum scriberet ex carcere ad Bohemos: Hodie assabunt anserem (nam Hus anserem significat) post centum verò annos audient canentem cygnum: hunc ferant necesse erit. Et adijcit Lutherus: Do sol es auch bey bleiben/ob Gott wil. *Idem verò Hussus ad sanguinariæ illius meretricis Babylonicæ prælatos, hostes suos, dicebat in die martyrij: Post centum annos respondebitis Deo & mihi. Quæ verba Bohemi post in moneta quadam ad effigiem Iohannis Hussi curarunt procudi & exprimi. Imò compertum habemus indubijs documentis, in Apocalypsi Iohannis cap. 14. & 18. notanter incomparabilem hunc religionis vindicem Apostolico vaticinio prænunciatum esse. Etenim post descriptum regnum Antichristi sub figura bestiæ habentis duo cornua similia agni, loquentis autem voce draconis: & sub figura altera meretricis insidentis bestiæ decicorni, (quæ bestia, Daniele interprete, est quarta Monarchia Romana) & poculo errorum & abominationum inebriantis reges, & populos, & gentes, & tribus, adeoque terram corrumpentis prostitutione sui, quam mulierem Angelus ait, esse civitatem magnam, quæ habeat imperium super reges terræ, quam Romæ tunc fuisse periphrasin nemo nisi historiarum penitissimè rudis inficiabitur: his ita recitatis, mox introducitur Angelus Evangelicæ doctrinæ præco, dicente Iohanne: Et posthæc vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui, & linguæ & populo, dicentem voce magna: timete Deum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorate eum, qui*

fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum. Ad cuius concionem ilico vox auditur ruinæ Papistici regni nuncia: cecidit, cecidit Babylon civitas illa magna. Et rursus: Post hæc vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius: & exclamavit per fortitudinem voce magna dicens: cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis immundi Spiritus, & custodia omnis volucris immundæ & invisæ, quia de vino iræ scortationis eius biberunt omnes gentes: Et Reges terræ cum illa scortati sunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius divites facti sunt.

Quibus illustribus vaticinijs Lutherum ceu digito notat eum palàm docet irrefragabilis eventus, oraculorum editorum interpres sine controversia, ut certissimus, ita locupletissimus.

Hic ergo heros invictus per occasionem turpissimæ nundinationis indulgentiarum Papalium, (quas Ioannes Tezelius Dominicanus, tanquam eius rei præco adeluenda horribilissima quævis scelera valere grunniebat) cum Romano Pontifice congressus est. At quis homo? cum quo hoste? quibus armis? Nimirum homo imbellis cum illo præpotenti Monarcharum omnium Monarcha, unus cum universa clientela Romanorum Pontificum, solus cum toto propè mundo: armis verò nullis externis adversus robustissimum illum Venatorem Nimrodum & Vejovem Tarpejum adversus orbis Monarchas, Reges, Principes, imò cõtra portas inferorũ, solo fretus Dei præsidio, solius scripturæ armatus gladio. Neque verò solummodo signa contulit, & ensinus fortè scriptorium illum calamum vibravit, sed cominus conflixit leoninam, in quam se ille Cumanus abdiderat, eiusq; ostentatione cunctis regibus terrorem attulerat, detractam, extra portam Elsteranam huius oppidi,

flammis ultricibus exuſsit, & qui ſeculis anteactis putabatur eſſe omnium ſanctiſsimus, & Chriſti vicarius, & ſucceſſor Petri, & univerſalis omnium ovium Chriſti Paſtor, & fundamentum fidei, & totius militantis Eccleſiæ caput, & quid non? hunc Lutherus ex indubitatis teſtimonijs Spiritus S. demonſtravit eſſe nobilem illum in Prophetarum etiam ſcriptis decantatum Antichriſtum, eſſe hominem illum ſceleroſum, eſſe filium illum perditionis, qui in Dei templo ſedens, ſupra omne, quod Deus aut numen eſt, faſtu diabolico prorſus ſeſe elevaturus erat.

Hoc pacto Chriſtus Ieſus ſine manu, quod Daniel prædixit, ſolo Evangelij verbo, atque ſic oris ſui Spiritu conficere cœpit Antichriſtum in cordibus electorum, & Eccleſiam ex ſervitute longè omnium fœdiſsima triſtiſsimaq; potenter ereptam in libertatem. Evangelij divino planè beneficio reposuit. diſcuſsisq; nebulis, imò tenebris errorum pluſquam Cimmerijs & AEgyptiacis, gratam ſalvificamq; lucem Evangelij ſuprà Germaniæ noſtræ horizontem benigniſsimè reduxit; ad quam reformationem idolomania Papiſtica multis ſeculis inveterata, altiſsimis q; defixa radicibus ex hominum animis extirpata rurſus eſt, & totum illud regnum tenebrarum ad tubæ Evangelicæ clangorem (haud aliter atque Hierichuntis olim mœnia) non ſolum in Germania, ſed etiam in Europæis aliquot regnis validiſsimè concuſsum, & ceu fulmine cæleſti dirutum ſubverſumq; eſt. Neque verò quiſquam opinetur, meam orationem his percenſendis extra oleam ferri, & à ſcopo deviare præſentis inſtituti. Quicquid enim, Deo duce ac præſide, Lutherus præclarè geſſit, eius non minimam ſibi depoſcit partem illuſtris hæc noſtra civitas Scholaſtica, cuius ipſe membrum fuit apprimè nobile. Eoq; meliori iure ſe in huius gloriæ communionem offert, quod etſi Lutherus ſolus iſtius reformationis fe-

cit

cit initium: tamen ipsius Collegæ & παρασάται, Academiæ nostræ cives, arduos illius conatus, suo quisque loco, fideliter iuverint.

Caio Iulio Cæsari, Dictatori & Imperatori victoriosissimo Tullius acclamat in ea, quam pro Marco Marcello habuit, oratione: Domuisti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Fruatur sanè hac laude Iulius. Quid verò cunctæ illius res gestæ, quid toties collata signa, quid commissa prælia, quid obtentæ victoriæ, quid acti triumphi, quid omnis illius, qua terrarum orbem complevit, gloriæ militaris trophæa, quid Imperatoriæ Maiestatis monumenta bellica virtute paria: si conferantur ad hoc ingens opus, quod Lutherus noster singulari numinis afflatu suscepit, expedito successu continuavit & ursit, optatoq; fine perfecit?

Sed quid attinet res ex Schola nostra præclarè gestas, conferre vel cum rebus Iulij Cæsaris, vel Alexandri Magni, vel etiam cum Herculis laboribus? Valeant Ethnici. Nos comparationem multò digniorem instituemus præstantissimi huius & ad posteros celebrandi κατορθώματος, cũ alijs augustissimis, & à primo ævo decantatis operibus, in Ecclesia gestis perfectisq;, ut ex ea collatione, quid quantumq; de Reformatione novissimi huiusce temporis statuendum sit, liquidius elucescat.

Tristis erat Ecclesiæ facies olim in AEgypto, quando post mortem Iosephi, & extinctam memoriam meritorum eius, Rex novus Israelitas gravissimis oneribus afflixit, & in eas angustias adegit, ut sub intolerabili pressura continuis suspirijs ad Deum ingemiscerent. Porrò crevit onus, quando illis sub onere crescentibus edicto regis novo, masculi Hebræi recens in lucem editi, mox in profluentem, ante ora & oculos parentum,

abijciebantur, luctuosissimo sanè exemplo & spectaculo. Hæc afflictio duravit annos centum. Secuta est liberatio miranda, & eductio ex AEgypti finibus optatissima, multis sinè magnisq; miraculis insignis & ad omnem posteritatem commemorabilis. Et certè, si Mosen, Prophetarum omnium Coriphæum, si miraculorum & numerum & maiestatem, si Dei loquentis cum Mose & Aarone manifestam præsentiam spectes: haud inficias eo, quoad memoratas circumstantias, esse Mosaicum illud opus eductionis filiorum Israel ex AEgypto conspectius & augustius. Sin verò genus afflictionis, si durationem, si potentiam hostis, si liberationis modum, si differentiam inter temporalia & æterna, inter corporalia & spiritualia prorsus infinitam attendas, non equidem ego subijciam διπλασιων: vos iudicate. Nam Pharao redegerat Israelitas sub servitutem, sed corporis, quæ cum æterna salute stare posset, nec adigebat conscientias hominum ad suscipiendum cultum cum Dei voluntate pugnantem, nisi quantum ipsimet impietatis AEgyptiacæ ex quotidiana conversatione sponte sua contraxerant. At Romani Papæ servitus ipsam arcem æternæ salutis convellit ac diruit, conscientias, sanguine filij Dei redemptas, sub errorum & superstitionum, ac multiplicis idolomaniæ fœdissimam captivitatem, atque adeo sub æternæ damnationis capistrum atque iugum omnium immanissimum horribilissimumq; adegit. Servitus AEgyptiaca duravit, ut diximus, annos ad centum; Babylonicæ meretricis servitus Antichristiana hæc decuplo duravit diutius. In AEgyptiaca servitute agebatur de ædificandis Regi granarijs, & ad ea præstandis operis: in hac agebatur religio, agebatur agnitio Dei & Christi, in qua cardo sempiternæ salutis vertitur. Illius AEgyptiacæ quidam erat futurus finis, neq; enim ultra cuiusq; mortem sævire vel poterat, vel etiam cogitabat Pharao: hæc

Antichristi tyrannis, ne morte quidem hominum terminatur sed tum demum exitialis effectus eius maximè sese prodit, interitum secum trahens nullis unquam seculis finiendum.

Quod igitur ex Antichristi captivitate, cui nec Pharaonica illa pressura, nec externa captivitas Babylonica unquam in æternum æquiparari potest, Deus, Ecclesiæ suæ misertus, Beati Lutheri ministerio nos eduxit: quibus laudibus sacrosanctum nomen Dei evehemus? quas gratias agemus divinæ maiestati ipsius? Parietes, me Christe, Tẽpli huius, ipsæq; valvæ, quæ primas viderãt theses Lutheri de indulgentijs, operis, quo de loquimur, admirãdi primitias, æterno Deo gratias agere gestiunt pro hoc ipsius inenarrabili dono atq; munere: quod ut nobis velit esse proprium ac benè stabile, qua possumus animorum & precum contentione, cœleste numen eius oramus supplices.

Innumera prudens omitto; quæ si particulatim persequi vellem, opus mihi nascereturr illiade maius. Satis est præcipua referre: quædam autem ceu digito solùm ostendere. Certè divinum illud opus translationis Bibliorum ex hebræis & græcis fontibus in linguam vernaculam, nullius non modo hominis oratione, sed ne quidem angelorum linguis dignè satis unquam celebrari potest. Non Oceanus tantam fundit aquarum vim atq; copiam, quantum cœlestis sapientiæ, salutaris doctrinæ, vivificæq; consolationis, & ad perpetuam salutem necessariæ institutionis, ex hoc perenni latice scripturæ in nostram conversæ linguam largissimis venis atque rivis ad fideles emanat. Quæres (si nil quicquam aliud hoc seculo VViteberga præstitum foret) vel sola, triumphum sibi festumq; diem quodam suo jure depoceret.

Sed & hoc obiter perstringo; quod ex VViteberga nostra solennis Ecclesiarum nostrarum Confessio, in Comitijs

Augusta-

Augustanis, Anno 30. frequentissimo in consessu Principum oblata Cæsari, invictaq́ constantia defensa, eiusq́ sonus ex loco tàm illustri, tamq́ celebri haud aliter in omni Europa' percrebuit, atque Paulus Apostolus à Thessalonicensibus olim sermonem Domini in Macedonia & Achaia, cæterisq́ locis pertonuisse scribit. Qui dies exhibitæ nostræ Confessionis, & personantis tubæ Evangelicæ doctrinæ, ex celebratissimis ante finem mundi nequaquam postremus est. Stabitq́ in omnia secula Confessio nostra, V Viteberga primùm septendecim articulis inclusa, dehinc dilatata, & Augustæ in totius Orbis Christiani oculis atque auribus clarissimam in lucem edita. Stabit, inquam, immota prorsus & inconcussa quamlibet contrà insurgat mundus, tumultuetur Antichristus, ringantur Papicolæ, fremat Orbis & Orcus.

Atque hìc transitum facimus ad alterum beneficium priori connexum, merito itidem suo celebrandum. Rectè canit Poëta:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Magnum est, in Academia nostra cœlitus accensam esse Evangelij lucem, huiusq́ radijs illustratam Ecclesiam Christianam. Non minus autem est, sacrosanctum illud depositum in tantis furoribus Satanæ & mundi sartum tectum potuisse conservari, & ad nos usque transmitti. Quid enim non molitus est Diabolus, quò lucem Evangelicæ doctrinæ rursus extingueret? Huc spectabat, quòd sectarios immisit, quòd dissidia excitavit in negotio religionis, conflato infelici certamine Sacramentario, excitato ad oppugnationem doctrinæ sanæ Carolostadio, pòst Zvinglio, Oecolampadio, Svencofeldio, Anabaptistarum, aliorumq́ fanaticorum multiplici Lerna atq́ hydra: quorum omnium conatus, si præsertim spiritum, quo agebantur, consideres, ad excidium veræ doctrinæ per D. Lu-

therum

theru: eu poſtliminio reducte, tanquam ſcopum unicum collinea-
bat. Quinidem accidit Luthero, quod Paulus Apoſtolus ſuo tem-
pore futurum ominabatur: ex vobis ipſis exurgent viri, loquentes
perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe: Et ſicut olim ex Eccleſia
Antiochena Paulus Samoſatenus, ex Alexandrina Arius, ex
alijs nobiliſſimis Eccleſijs alij exorti ſint hæretici: ſic ne quidem
noſtra Cathedra Academica potuit ab ejusmodi hominibus eſſe
prorſus immunis, quin poſt mortem Lutheri novum exoriretur
hominum genus, in eadem Cathedra dogmata, à Lutheri doctri-
na planè diverſa, profitentium, atq; nihilominus impio conatui
nomen obducentium ipſius Lutheri. Hinc novi procuſi Catechiſ-
mi, hinc infelix ille partus, in ipſo propè partu jugulatus & con
foſſus qui κρέμμυα, ſeu fundamentum, Grunt eſt ſeſe vocitabat,
hinc alij venenati libri, quibus Neſtorij hæreſis velut ex orco re-
ſuſcitata ſtudioſam juventutem miſerandum in modum inficie-
bat, ita ut ex VViteberga ſub alieno pallio atq; nomine Calvini-
mus longius latiusq; fuerit diſſeminatus, quam Calviniani ipſi
ſuis ex nidis propagare multo tempore potuiſſent. Et quidem ali-
quoties hoc molitus eſt Satanas, ut Academiam hanc conſtitue
ret adamati ſui Calvinismi ſedem & arcem, ex qua virus ſuum
in orbem Chriſtianum plenis cataractis effunderet: idque tam
immani conatu, ut bis terve de puritate doctrinæ cœleſtis, in arti-
culo Perſonæ majeſtatisq; Domini noſtri Ieſu Chriſti, actum vide
retur & conclamatum. Semper autem Deus miſericorditer reſpe
xit hanc verbi ſui Cathedram, ſemper ὡς ἀπὸ μηχανῆς tantis
malis medicinam fecit, detectis illorum hominum dolis occultis,
& machinationibus illorum, provida cura magiſtratus, & ſalu-
tari vigilantia ſincerorum Doctorum repreſſis ac diſſipatis. Inte-
rim verò diſſenſionum iſtarum cauſa & culpa tàm nō eſt impin-
genda doctrinæ per Lutherū nobis redditæ, quàm nec exortæ olim
hæreſes conferri poterant in doctrinam Apoſtolorum: ſed & hic

& illic valet dictum Iohannis: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum.

Cæterum ut contrà impetum Sectariorum Deus hanc almam Scholam benignissimè protexit, sic non minus potenter & clementer eam tutatus est, contra vim omnem hostilem. Vt de immanitate Turcica nihil dicam, quæ toti Germaniæ, patriæ nostræ charissimæ πανολεθρίαν ab aliquot seculis minatur atrocissimè, & nihilominus tanquam Dei manu retardata semper est atq; repressa: certe Pontificiorum colluvies nullam sub sole civitatem tam oderunt acerbè, tàm cupiunt eversam funditus, quàm nostram hanc VVitebergam. Quodq; lapis adhuc manet super lapidem, id non illorum voluntati, sed æterni Dei clementi protectioni acceptum ferendum est. In bello Smalcaldio, cum post partam victoriam, Cæsar Carolus, & Ferdinandus Rex hujusce frater, cum Hispano milite oppidum nostrum, adeoq; templum hoc nostrum ingrederetur: quis tum civis ab hoste victore & furente milite non extrema quævis metuenda esse putabat? quis sepulchrum Lutheri, quem Pontificij & vivum oderant acerbissimè, & mortuum nullis non diris devovendum statuebant, quis corpus ejus, quis ossa intacta mansura somniare saltem poterat? Sed ecce, Deus misericors, qui corda Regum omniumq; fictiorum hominum in sua manu continet, hosti superbienti ceu frenum immisit, & divino suo nutu, ceu retinaculo quodam cohibuit, victoriaq; insolentiam sic moderatus est, ut nemo quisquam non modò civiũ, sed ne præsidiariorum quidem militum, qui more belli, hostium loco haberi, & ad unum omnes contrucidari poterant, tantillum laderetur: Lutheri quoque sepulchrum, & cadaver intacta prorsus & inviolata manerent.

Taceo nunc brevitatis studio, bellorum motus alios, & tempestates Germaniæ sævissimas, sub quibus omnipotens Deus hanc Scholam sub alarum suarũ umbra benignè protexit, & tanquam

annulum

annulũ ſignatoriũ in manu ſua, imò ceu pupillam oculi cuſtodivit, inſperato prorſus & incredibili planè beneficio: ut de ea non minus atq; olim de Hieroſolyma dici poſſit ex Pſalmo, populari concione heri explicato: Magnus Dominus & laudibilis valdè, in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus. Mons Sion (ſic etiam VViteberga noſtra) ſurculus amœnus, gaudium univerſa terra. A latus Aquilonis ſita eſt civitas magni Regis. DEVS in palatijs ejus (templis & domibus) notus eſt, quod ipſe ſit refugium. Quoniam ecce Reges congregati ſunt & tranſierunt ſimul, commoti ſunt, conturbati ſunt: tremor apprehendit eos, ibi dolores, ut parturientis. Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Dominivirtutum, in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in ſeculum. Expectamus, ô Deus, miſericordiam tuam, in medio Templi tui: ſecundum nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ. Iuſtitia plena eſt dextera tua. Lætetur mons Zion, exultent filiæ ejus: propter judicia tua, Domine. Circumdate Sionem, & complectimini eam, numerate turres ejus: firmate muros, & ſublimate palatia ejus, ut narretur in progenie altera: quoniam hic Deus eſt Deus noſter in æternum: ipſe ducit nos, ut juventam.

Quoniam verò, Auditores humaniſſimi, horrendum in mundum, frendet ac fremit Satanas, tumultuatur ob acceptam plagã Antichriſtus, dira moliuntur, & ſanguinem noſtrum ſitiunt Pontificij, cumprimis Suitæ, ranæ Apocalypticæ & infernales locuſtæ, quæ ex abyſſo provolantes accendunt & inflammant animos Regum ac Principũ in Lutheranos, & nullum non lapidem movent (etiamſi ſcorpius ſub unoquoque dormiat) ut Academiarũ Evãgelicarum ſtatus pulcherrimus turbetur, imò convellatur; ut data Religioni pax annihiletur, ut nos omnes radicitus exterminemur & deleamur funditus, ut Eccleſiæ præclariſſimè conſtitutæ ſub jugũ intolerabile Romani Antichriſti retrahantur, ut peſtilentiæ

Cathedra reficiatur, ut vulnera, Babylonicæ meretrici, Regum seductrici & populorum, per verbum Evangelij inflicta sanentur, ut Papatus totus in integrum restituatur, ut (si mundus tam diu consisteret) ipsi suum illum quæstorium Iubilæum majore numero & uberiore quæstu celebrare, deq; nobis devictis triumphum agere pro suo libitu valeant: idcircò pœnitenti corde te precamur, æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, ut delicta nostra, quibus tuam iram sumus meriti, propter sanguinem & mortem unigeniti filij tui, Domini nostri Iesu Christi, paternè nobis condones, neque nobiscum agas secundum peccata nostra, neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Confirma, quæsumus, ô Deus, bonum hoc, quod operatus es in nobis. Conserva Ecclesiam tuam, quam Iesus Christus sanguine suo redemit, lavit & sanctificavit. Domine Deus virtutum, respice de cælo, & vide, & visita vineam tuam, quam plantavit dextera tua. Increpa feram arundinis, congregationem taurorum, conculcantem propter beneplacitum argenti; dissipa gentes, quæ bella volunt. Exurge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant à facie tua, qui oderunt te. Protege & fulci potenti tua dextra clementissimum Magistratum nostrum. Defende Illustrissimos nostros Principes, Saxoniæ Duces florentissimos. Sospita iunctos Principes & Magistratus, qui verbo Evangelij tui hospitia præbent: Cõserva Scholam hanc nostram, Verbi tui salutarem officinam: benedic laboribus docentium ac discentium, & largire nobis, & posteris nostris, ut te æternum Patrem, unâ cum filio tuo Domino Iesu Christo, & consubstantiali Spiritu, rectè agnoscamus, tibi vero cultu piè deserviamus, donec hac vita functi perveniamus ad Civitatem illam Dei viventis, ad cœlestem Hierosolymam, ad innumerabilium angelorum cœtum, ad concionem primogenitorum, qui in cœlis conscripti sunt, & ad spiritus justorum perfectorum, atq; unâ cum his Sabbatum ex Sabbato, Iubilæum ex Iubilæo, cum pe-

renni jubilo celebremus, canentes jugiter: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth, cui aterno & immortali principi seculorum, invisibili, soli sapienti Deo, Regi Regum & Domino dominantium; sit laus, honor, & imperium sempiternum, AMEN.

Frid. Taubmani

CARMEN SÆCVLARE,
DICTVM VVITEBERGAE,
die Lucæ.

CARMEN SAECVLARE.

QVAE NON audisti, non auditurus es, audi;
Quæ non vidisti, quæ non visurus es unquam,
SACRA vide. parat ista Dei Phœbiq; sacerdos.
HAEC est illa dies, quâ per stata sidera Mundi
Centenos abijt circumfluus Annus in *annos*,
Huic Academiæ *Primi* puncta ultima *Sæli*
Expediens, & puncta simul primæva Secundi.
Méne rogas, Tanti nobis qui muneris auctor?
Quis? nisi qui Maris & Flammæ, Telluris & Auræ
Concilio, quod inane merum fuit antè, creavit
Omnia; quæ gremio vastus comptectitur Orbis:
Inq; suos cæli convexa volumina cyclos
Tornavit volucri levitate: ut perpete lapsu
Momentisq; suis raptum sine pondere pondus
Sese libraret: passimq; ardente pyropo
Splenderet laqueare poli: Solisq; ducatu
Ac Lunæ, tacitis formaret legibus ævum.

Quiq; etiam juſsit torpente voraginis umbrâ
Eruere ingenuo Rationis acumine lucem,
In quâ vis *Pulchri* micet & ſapientia *Veri*.
Quiq; huic nempe bono, ceu gymnaſiarcha, palæſtras
Inſtitui voluit, quîs ſe vigor indolis altæ
Exercere queat meliorum indagine rerum.
Ille Deus tanti dedit incunabula cœptI.
Ille incrementum, & primi divortia Sæcli.
Illi debetur, quanta eſt ea gloria, ſoli.
Illi debemus, quot mens capit intima grates,
Et qualeis trahit & quantas hic ſpiritus; & quot
Et qualeis quantasq; valet mea lingua profari,
Quid mea? veſtrûm adeò cunctorum lingua profari
Mens capere, & trahere ſpirantis anhelitus auræ;
Tot nos & taleis & tantas ſcilicet omnes
Pro tam præſtanti debemus munere grateis.
Ingens debitio eſt: & quam vix ire ſolutum
Poſſumus. audendum tamen eſt. ego verba præibo:
Iſta ſequi tacitâ pietate ac pectore veſtrum eſt.
Tu, qui ſtelligeri curſum moderaris Olympi
Irrequiete quiete, Deus: Pater unice Filiî
Vnigenæ: qui poſt humanos induit artûs,
Vt poſsit monſtrare Deum: tuq́; Ignis in igni
Spiritus æterno: Deus uno in numine triplex
Nomine: promerito grates tibi ſolvimus uni.
Vnîus res cuncta tui eſt. Te, te auſpice noſtrum
Cœpit Ephebeium: te præſide conſervatum eſt.
Te duce, grande ſui, quo jam valet, augmen adepta eſt,
Nomen & auguſtum, quod Fama propagat ad Orbem,
Vnde venit Titan, & nox ubi ſidera condit.
Pro te, proq́; ſacrâ quod geſtum eſt indole Verbi

Hactenus, omne tuo ſolíus numine geſtum eſt.
Quodq; hodie decies denos hæc Leucoris annos
Computat, & primi Centena volumnia SAECLI
Claudit; & à tanto non eſt abſcorpta procellarum
AEſtu; quos Erebi Tybridisq; ruebat aquæ vis:
Non opus humanæ! operis manifeſta pateſcunt
Argumenta Dei. Deus iſta patravit: & huic nos
Debemus grates: quas & nunc ſolvimus. ah! quid
Solvimus? his meritis æterna ſolutio non eſt
Solvendo. & ſi vel grandi ſubſellia verſu
Fregero; ſi duros ſinuoſi fornicis arcus
Rupero; meq; adeò: ſat dignas ſolvere grateis
Non tamen evaleo. Sed enim miſerefcere noſtrûm,
Mens divina, ſoles. Bonitas tua Numen adæquat.
Solvere ſæpe tibi eſt: non ſolvere poſſe, fateri.
Ecce, pater! pater, ecce! manûs protendimus ambas,
Corq; unà trahitur, cælumq; minatur, & illud
Cor ſpirat patrium. ſatis, ah ſatis eſſe putato,
Vnas pro innumeris meritis tibi pendere grateis.
Pendimus (ecce!) unas. & cum tu ſæpe datorum
Prodigus innumeris grates penſaveris unas:
Hoc te pro innumeris nunc unum, eq; omnibus unum
Iſta rogat cunctæ ſpiſsiſsima turba coronæ;
Vt, quam centenos propior tutatus es annos,
Hanc Academiam porrò tuearis, & illud
Nobile depoſitum ſacroſancti dogmatis unà.
Namq; hoc non ſalvo, quid opus ſalvare Lycéum?
NVNC quoq; denarrabo, Deus quos ille volebat
Munia delatæ præſtare, vicaria curæ.
Ecqui ſunt? Eſt, qui primûm INCHOAT hócce Lyceum:
Eſt, qui CONSERVAT: eſt & qui FVNDAT: & eſt qui

Colla-

Collapsum INSTAVRAT: quiq; ORNAT & AMPLIAT;
& qui
CONFIRMAT; quiq; ista suis FOVET integra nervis.
His etenim TITVLIS, quà se primo obvia muro
AVGVSTAE substructa domûs cœnacula pandunt,
Saxoniæ Proceres statuas potuêre mereri.
Hi pariter mihi carmen erunt: hoc limite Cleio
Nostra laborabit. Et quamvis densior instet
Gestorum series, laudumq; sequentibus undis
Obruar: audebo tamen, & stringam omnia pressis
Narrandi metis. Tu primum duxeris agmen,
FRIDRICE, Imperij pars augustissima cum quo
Ipsa suum commune habuit *Sapientia* nomen
Instar in hoc quantum est! (animos advertite) cum quo
Ipsa suum commune habuit *Sapientia* nomen.
Laus olim palmaris erat penetrare sacratæ
Regna Palestinæ, & Solymam Christiq; sepulcrum
Ferre sub adspectum. penetravit hic: omnia coràm
Sub visum tactumq; dedit. Pendérene muro
Cernitis hoc tabulas? Adversa, aversaq; Christi
Depositi facies ea patrum credita sæclo est.
Ille hanc suspendit Solymorum ex orbe relatam.
Ille hanc exstruxit muris ingentibus Arcem
Turritasq; minas: ille hoc venerabile Templum
Nunc meritis insigne suis & honore Sacrorum.
Hoc auctore Domus surrexit & illa, supremæ
Vrbis apex, portæ decus & tutamen Elystræ:
Primûm Augustini, pòst nomine clara Luteri;
Nunc utriusq; simul; quantumvis debita neutri.
Ille rudi posuit duo *Formatoria* pubi.
Quâq; Professores sacrum sophos atq; profanum

Exercere queant. Sed & illum è robore querno
Vndeni compage jugi ſuper Albida pontem
Conſtruxit, docuitq; fero ſub gurgite Nymphas
Aoniæ calcata pati veſtigia turbæ.
Magni animi res ſunt, ob quas nonnemo triumphum
Poſtulet. at nihil hoc, præ quàm quod dicere poſſem,
Me tempus ſineret. Quo pacto inviſerit heros
Commitia Imperij triceſima, viq; probatâ.
Conſilij ornàrit: Quo pacto dignus haberi
Cæſareas tractare vices pro Cæſare trino:
Quin Sceptrum & Sphæram Diademaq; Cæſaris ipſum
Imperij geſtare bono. Sed, Carolus eſto
Cæſar, ait. pro me Cæſar mihi Carolus eſto.
Hei mihi! quantum animi fuit hoc in pectore robur,
Vltrò delatos tanti contemnere regni
Faſces, quos alij vi, fraude & ſanguine quærunt.
Hic Academiæ poſuit fundamina noſtræ,
Quæ nunc centenos numerat feliciter annos.
Scilicet hæc ille Vrbis erat præclarus ab auro
ANNVLVS: huic auro radiantis gemma lapilli
Dêerat adhuc; non illa, rubras Orientis ad undas
Quæ legitur: ſed quam ille Oriens demiſit ab Alto
In fontem Iſráel, qui ſanguine purpurat Agni.
Annulus huic potiùs gemmæ fuit aptus & aurum.
Eruit hanc Lutera manus, fabreq; politam
Inſerit huic auro. Iam ſplendet utrumq; coruſco
Sidere: jamq; Italis oculos perſtringit ad urbem
Tibridos: ipſe etiam Romanus Iuppiter horret
Lucis inadſuetæ penetrabile fulgur oriri
Monte Palatino. jam facia jnfauſta notari
Incipiunt: ſua jam meretrix Babylonis in antro

Spectari ſecreta dolet. Nunc tempus agi rem,
Cacus ait. Properè pereat Gemma, Annulus, Aurum
Cum Fabro, (Luterus erat faber ille.) ſed & qui
Auro, qui Gemmæ, qui Fabro præbuit umbram
Hoſpitij. hoſpes eras Sapiens Friderice. Sed auræ
Disq; trahebant, disq; ſipabant cuncta minarum:
Cuncta minarum disq; ſipabant disq; trahebant.
Hàc ſtabat Deus: hac ſtabat Fridericus. Et auſit
Ab Iove Romano quisquam præſumere tantas
Armorum vires, contra hos ut ſtaret in armis?
Tunc ſe magnificam fecit Tetzelia virtus,
Vænales ſatagens noſtris obtrudere merces:
Qualeis, me tacito, jam quivis novit ad unguem.
Videris hîc animi curis mordacibus ægros
Commiſsi tædere ſui; gentemq; picatam
Autolyci rogitare, Meo me crimine quanti
Poſſe putas ſolvi? cui mango; Nempe fide nos
Mercamur Græcâ: ſi prompta pecunia, centum
Pende coronatos, & crimine liber abito.
Auro ſe meretrix, auro ſicarius, auro
Sacrilegus purgat. Nullum purgantius auro
Natum ſmegma fuit. Purgatis ordine noxis,
Ecce inceſtificus germanæ matris adulter,
Quanti, ait, inceſtus ſolet heic vænire? talento.
Heu pretium impenſum! quid tum? ne nummus abeſſe
Hinc potis eſt: Quæſtor Latiæ ſic æſtimat aulæ.
Ergo ideò in pretium redigi peccata potiſſunt
Omnia? ſic, poſſunt. Peccatum tam grave nullum eſt,
Cui non par aurum poſsis expendere contrà.
Nimirum hæc illa eſt fraudum ſutela piarum!

Hos non ulteriùs procedere passa furores
Mens animosa Deo Luteri; Ergóne putâsti,
O scelerum caput & mentite vicarie Christi,
Isto auri splendente luto vænale parari,
Quod meruit nobis & morte & sanguine fuso
Filius Omniporentis heri? sicné ergò deinceps
Ipsa Sacramenta, ipsa elementa, cruentaq; Christi
Vulnera Tetzelio & Cælum vænale sit ipsum?
Hoc Deus, hoc prohibeto nefas. hoc limite vendax
Hæreat iste furor. pereat Tetzelius, & qui
Cauponari animis hominum jus fasq; putarunt.
Occidat Indulgens, Indulgens óccidat hydra;
Occisam tumules; tumulumq; hoc carmine signes;
Heic prostrata jacet Papæ *Indulgentia* mendax
A capite ad calcem, cumq; omnibus intestinis.
Istas, credo, fores bipatentibus obvia valvis
Nunc etiam impacti vestigia prodere clavi,
Quo Christi meritis affixa est plena papyrus,
Plena Sacro fidei; solida pleniſsima Vero.
Tuq; adeò cœptis indulgentiſsime vireis
Christe dabas. ne porrò tui pretiosa cruoris
Purpura sacrilego vænum prostaret abusu.
Tu, Friderice, tuī pro nominis omine, pacem
Curabas: quæ certa rei nutricula tantæ est.
Et non è tumulo hoc viridis nova germina Rutæ?
Non violæ? non paciferæ nascantur olivæ?
Quisquis es, huc specta: sed & huc. è marmore sensum
Disce Friderici: Pietatis imago sub illo est:
Illic, quà duxit Lysippus in ære Togatum,
Quáq; Polycleti formavit lima Sagatum,
Disce Fridericum belliq; domiq; paratos

Offirmâſſe animos ſano pro dogmate Chriſti.
O ſalve, Friderice, tuo ſub marmore: ſalve.
Et tibi, quæ primi decurſo tempore Sæcli,
Gymnaſij Templiq; tui quota portio Vates
Carmina jam libo, votivi turis honorem
Eſſe puta, & meriti meritis ingentibus umbram.
VT fato Fridericus obit, tu dive IOHANNES,
Imperium pro fratre geris: ſic indole fratri
Par ſimilisq; putes ut frattrem in fratre renatum.
Quanta periclorum pro Relligione renatâ
Hauſerit: & quantis civilis Erinnys, & iſta
Ruſtica tempeſtas Corydonum exoſa dynaſtas,
Sedata ærumnis fuerit, non dicere poſſem
Sat dignè; non ſi pariter mihi vertice læto
Nectat odoratas & Smyrna & Mantua laurùs.
Id verò auguſtum eſt, quo non auguſtius ullum
A Ponto Eóo ſupra Mæotidis undas
Sol unquam vidit; quando hoc auguſta magiſtro
Auguſtæ exhibita eſt *Fidei Confeſſio* noſtræ.
Heic animis opus & circum præcordia ferro!
Heic ſtabat Cæſar, Procerumq; tremenda poteſtas
Europæi Orbis; ſtabat cum fulmine torto
Clemens non-clemens Romanæ Iuppiter aulæ,
Stabat & inventrix ſcelerum furialis Enyo:
Noſce túas vires, Saxo. nova ſacra Luteri
Excute. nî facies; hoc cælum, atq; omnia cæli
Numina teſtamur; Tu, cum regione perîſti:
Cum regione & relligione hâc interijſti.
Seu peream, ſive inteream; doctrina Lutheri,
Illa Dei doctrina, meo de pectore nunquam
Ceſſerit: hos cælos atq; omnia Numina teſtor;

Saxo ait. O cedro vox incidenda! quid autem
Cedro? cælo ipsi. Qui transis cunq; sepulcrum,
Hosq; ex ære vides, atq; hos è marmore vultûs;
Dic tecum: *Heic viva est animi Constantis imago.*
IAN-Friderice patris patruiq;, binominis hæres,
Virtutes utriusq; geris. visnê amplius addam?
Vellem! nî laudum summarum summa fuisset,
Germanum ostendi specimen patruiq; patrisq;
Hic nostram aggesto circundat *Oreada* vallo,
Et tutos habitare bono jubet auspice muros
Quiq; docent arteis artesq; docentur: & amplo
AEqua Professorum meritis stipendia sumptu
Ordinat: his Templum hoc largitur, & omnia Templi.
Invidère ipsi quamvis heic fata sepulcrum.
Vinariæ situs est, hunc postquam Cæsar in armis
Victorem vicit: capientem cœpit; avitum
Ensiferi decus & trabeam cinctumq; galeri
Abstulit, Imperii Septemq; insigne viratûs.
Carceris ingenui tandem custode remoto
Iussus abire domum est. Abeant, ait, omnia Sorti
Ludibrium. modò CHRISTE veni, modò Christe maneto.

Gemmarum radijs stellata monilia reges
Exornare solent. tua, Ian-Friderice, cicatrix,
Quam geris adversâ, Fidei pro dogmate, malà,
Te decorat plus quàm baccata monilia regum.
Si quid in hoc esset Lysippi aut Mentoris ungue.
Hæc tumulo ipsius legerent insculpta nepotes:
HEIC Ian-Fridricus situs ille est; martyr Iesu,
Dux afflictorum: Constantis gloria palmæ:
Spectamen Fidei: Christjanæ Sortis imago.

Nunc ades Henricide, virtus Mauritia, primi
Pubertate ævi laudum festinus adibas
Vix tentanda viris. tu belli fulmen haberi
Turcorumq; horror poteras. tu Martia proles
Ausus es undecies belli tentare furores.
Sed non hocce loco, non hoc mihi tẽpore fas est
Ordine bellorum tantas evolvere moles.
Nunc tantùm pacata fero: quibus Vrbis alumni,
Artesq; & Pietas atq; hæc Academia florent.
Tu disturbatas bellorum turbine Musas
Cogis in antiquas meliori numine sedes,
Salve Mauriti: nisi te tua fata sub ipso
Flore juventutis properatâ morte tulissent,
Implere Europæ factis ingentibus Orbem,
Et magno poteras vocem lassare Maroni.
Fraternas, AVGVSTE, obiens parteisq; decusq;
Protinùs augusti mensuram nominis imples.
Ipsi res operi fecit pondusq; fidemq;.
O Auditores! equidem si carmen in unum
Tantarum enitar cumulos advolvere rerum,
Promptiùs hanc aliò templi traduxero molem.
Si partem tacuisse velim; quodcunq; relinquam,
Majus erit: seu Pacis opus, seu Martis adornem.
Quis fora Saxoniæ sub jura coëgit & AEquum?
AVGVSTVS. quis se pro Relligionis amussi
Totâ mente animi, totis & viribus; auri
Vi magnâ, & toto devovit tempore vitæ?
AVGVSTVS. quis tot nummorum millia fisco
Exauctura novis antiqua salaria, donat?
AVGVSTVS. Salve Dux augustissime: salve.
Nil non augusti tam augusto Principe gestum est.

Sed Carthago mihi es: de quâ ſiluiſſe putatur
Laus major, quàm pauca loqui. quidnî ergò ſilerem?
AT non te ſileo, CHRISTIANE, Auguſta propago:
Quanquam quî poſſum ſat honoro dicere verſû,
Qui patris & patrui geris unus utramq; figuram?
In te ſpirabat Patrui vis Martia: Patris
Regia ſerietas. Par ardor utriq; Sacrorum
Parq; profanorum. Patruumq; Patremq; gerebas.
At non iſta diu tenuit Fortuna favorem:
Cum vix oſtenſum tantis te dejecit auſis,
Inq; uno geminos Patruumq; Patremq; trucidat.
Vſq; adeò ſummis diuturnum ſtare negatum eſt!
Tu tamen intereà, FRIDERICE-VVILHELME, ſecũdas
Pergis obire *vices*, patriamq; extendere curam.
Pingatur ab Apelle *Boni* mihi *Principis* eicon:
Viva Friderici Gulielmi exſtabit imago.
Crede mihi, ô Princeps: tum demum oblivia ſumet
Hæc VViteberga tui; cum ſic mutaverit axem
Fœderibus Natura novis: ut flumine verſo
Saxonas hos Manus, Francos his irriget Albis:
Eurus ab occaſu, Zephyrusq; feratur ab ortu.
ECQVID habes, AVGVSTE, animi: ſi tanta tuorum
Geſta recenſitis audis educere faſtis?
Credo ego, ſi pro me Luteri illa, illa Philippi
Poſſet imago loqui; te ſic, AVGVSTE, citarent;
Hæc Rhodus: hic ſaltus! Teq; hàc, Auguſte, tuorum
Poſſe & Velle Rhodo ſaltare; quis ambigat amens?
Iam nunc maturis annos tranſcendere factis
Moliris: ſpondetq; parem vigor indolis ille,
Membrorumq; modus, viviq; modeſtia vultûs.

Tolle oculos, AVGVSTE: tui Sapientis imago
Hæc est Fridrici. si qua os in verba pateret
Adspectumq; oculi: teq; hîc se ponè nepotem
Purpureâ tundata sui sub epomide Ludi
Rectorem magmenta hodie curare videret;
Quæ censes ipsum ruiturum in verba? labascit
Vox mihi. tu potes hæc, AVGVSTE, expendere tecum.
ECQVID & in laudes hæc per solemnia festi
Ibo Poëta tuas, CHRISTIANE Secunde? secundis
Quem pridem auspicijs Saxonia vidit in altos
Electorum Enses, Aquilæq; biverticis alas
Surgere Romanas, ipso gratante Rodolphi
Numine Cæsareo. Quàm vellem! & carminis esset
Prodiga materies: sed enim semihora labori
Iam decrita meo est: & Curatoribus istis
Circumscripta suas urgent modò singula metas.
O CHRISTIANIADE, laudum sit pompa tuarum;
Tam faustos habuisse dies, & Numen amicum:
Hòc ut Athenæum Primi sacra IVBILA SAECLI
Auspice te titulisq; tuis sumptuq; celebret,
Et quæ cras vobis Rhodomanni Suada sub isto
Pertendet celebrare tholo, sermone pedestri:
Quum decies-senos & quattuor ordine longo
Hic septem geminâ clarabit in arte Magistros.
Tu CHRISTIANIADE, (jucundum hoc nomen ab ips
Omine sæpe cito) fac ut hâc cum laude Lycéum
Perpetuet nostrum. Par laus, servasse repertum,
Et reperire novum, quâ nunc contentus abito.
AT verò laudes hcic instaurate Iehovæ,
Qui super astriferi tabulata nitentia templi
Gymnasiarcha sedens laudum fœcunda suarum

Argumenta gerit. Qui ſacramenta Lycéo
Dixiſti pubes, myſtæq; patresq; Lycei,
Et qui ſpectatum ſacros veniſtis honores,
Et qui ſpectandi; pariter laudate Iehovam.
Vox hodie canat aſſa, canat vox miſta Iehovam.
Arida clangentem ſe buccina ſolvat in auram:
Ductiliumq; tubarum animæ taratantara raucum
Eructent crepero per torta volumina tractu:
Tympana tenta tonent: follisq; ſequentia flatum
Organa multifido clangantq; tonentq; ſuſurro:
Errantiq; canore chelys; hilarêq; tremiſcens
Fiſtula; panduræq; fides & ſetiger arcus:
Et quicquid Nervis & Flatu & deniq; Pulſu
In dulces animare poteſt mens docta ſonores:
Omnia nunc meritis plenum laudate Iehovam.
Quicquid erit, quodcunq; alij fecêre merendo;
Servavit noſtrum, ſervabit Iova Lyceum.
SIC celebrata mihi PRIMI ſunt IVBILA SAECLI.
Sed quis in hâc turbâ de tot modò millibus edet,
Nunc ubi ſit Vates, cui ſunt celebranda SECVNDI?
Quisquis eris, cujatis eris, ô poſtume Vates,
Hæc mea poſt Centum ſi Carmina legeris annos,
Quâq; ego nunc, cathedrâ ſteteris Orator eâdem;
Dic: Cineres, ubi ſitis ubi, ſalvete Poëtæ.
Sic tibi; ſic noſtro ſint omnia ſalva Lycéo:
Omnia ſalva tibi, ſint omnia ſalva LYCEO. DIXI.

CARMEN.

CVM SPACIVM ESSET, PLACVIT CARMnis secularis Horatiani Parodiam adjicere, Auctore M. Valentino Trebatio, Ecclesiaste & P. L.

CHRISTE, cœlorumq; potens Iehova,
Sanctus amborumq; amor, ô colendi
Semper, & culti, date quæ precamur
Pectore læto.
Quod Prophetarum monuêre voces,
Anxias mentes numero frequenti
Te, cui dictæ placuêre laudes
Quærere numen.
Iuste Sol, vulto placido scholas qui
Clarus illustras, humiliq; voto
Poscëris, possis nihil hâc ad Albim
Visere majus.
Ritè doctrinis aperire linguam
Suavis obscuram irradia docentes:
Sive tu divina probas doceri
Verba, vel artes,
Mitis æternes requiem, sacrumq;
Prosperes solemne super colendis
Literis, pacisq; piæ sequaci
Pube secundæ.
Scansilis denos decies per annos
Orbis & cantus revehitq; plausus,
Ter precum adfectu totiesq; multâ
Laude celebres.
Quodq; divinans petijsse Fleccus
Sedulo elapso legitur, docetq;

Exitus, Mundus Sophian ab albo
Monte requirit.
Publicus morum decorisq; censor,
Laureâ donat juvenes coronâ;
Nutriunt pacem Charis ipsa magni
Et Ducis umbra.
Condito mitis placidusq; ludo
Supplices audi gemitus Iehova;
Artium tutela salubris audi
CHRISTE querelas.
Leucoris vestrum est opus, Italæq;
Robur incassum fremuêre larvæ,
Acta pars mutare dolos, & urbem hanc.
Linquere inultam.
Cui per audaces sine fronte sectas
Magnus Alcides patriæ Lutherus
Liberum munivit iter, daturus
Sana relictis.
Dij pios mores populo frequenti,
Dij potestatem gladio quietam
VVitikindæo date, remq; prolemq;
Et decus omne.
Quiq; te votis venerantur almis
Clarus AVGVSTI Ducis ampla sanguis
Floreat per secla bonus, sacratas.
Lenis in artes.
Iam scholæ templiq; tubas sonantes
Cinglius causæq; tremat ruinam,
Iam Papæ decreta premant, protervi
Fulmine quondam.

Iam fides & lex & amor timorq́;
In DEVM lapſis aperire mentes
Gaudeant, curetq́; ſerena dono
Gratia nudos.
Autor & longi dominator ævi
CHRISTVS abjectis requies egenis,
Qui per humanâ capit aure preſsi
Pectoris æſtus:
Qui ſalutares amat æquus artes,
Saxonum & gentem, ſociasq́; terras,
In ſui laudem Clarios ſecundet
Semper honores,
Quiq́; ſupremum tenet, inferumq́;
Supplicum Iehova preces virorum
Curet, & votis numero probatis
Applicet aures.
Hæc Patrem ſentire, patrisq́; Natum, &
Spiritum, certam modo ſpem capeſſo:
Dexter unius chorus atque trini
Dicere laudes.

Oratiuncula
IN RENVNCIATIONE NOVI PRORECTORIS IN SEMESTRE HYBERNUM, habita à GEORGIO VVECKERO Phil. & Med. D. & Physices Professore publico.

MVLTAE AC GRAVISSIMAE DIFficultates incidunt in omnem quantumuis salutarem & placidam gubernationem. cum nihil sit ex omni parte beatum, nullaq; officij administratio detur, quæ non motibus repleatur noxijs. Idq; ex eo fonte manare facilè colligimus, quod odio horribili adversus DEVM, Eiusq; sanctissimam ecclesiam Satanas ille antiquus & crudelissimus homicida, ac mundi seductor communis sæviat, atrociusq; grassetur, ac naturas hominum labiles ac infirmas impellat, ut eæ omni honesti reuerentia, & panarum formidine abiecta, disciplinam turbent, grauiterq; Respublicas commoveant. Id Exempla historiarum, & quotidiana vitæ experimenta abundè comprobant. Sic impius Cainus excusso timore DEI, patrisq; reverentia, ac fratris dilectione Abelem fratrem insontem trucidat, dulcissimamq; pacē in domo paterna dissipat. omniaq; mæstitia & indignatione complet. Pari modo Sodomæ illius infamis Cives & juventa Effrenis abiecto omni honestatis & castitatis pudore, ius hospitij sanctissimum violare, naturæq; vim inferre non erubuit. Eiusdem generis possent sexcenta huc exempla afferri, quæ idem euidentius ostenderent, nisi quotidiana experientia satis documentorum per se offerret. Sed ista fusius commemorare neq; locus hic nec tempus ferre possunt. Vos autem juvenes lectissimi, qui in doctrinæ studijs singulari cum diligentia versamini, hæc præcipuè decet considerare, ut his com-

monefacti vagabundos impetus, quibus legũ & societatis huma
na ordo miserum in modum turbatur, reprimatis, & ardentibu
votis præpotentem DEVM oretis, ut & gubernatorum Consi i
& uestros conatus suo spiritu regat, utrorumq; mentes luce su
cœlesti collustret, inq; vobis virtutes honestas & amorem obtempe
randi inflammet. Ab illo namque solo hæc proficisci opor
tet, ut oculus videat, & auris audiat, quæ videnda & intelli
genda sunt. Nam sine ipso nec nos, qui Magistratum
gerimus, legumque Custodes constituimur, neque vos, quibu
mens ad obtemperandum proclivis esse debet, frugi quicquam pos
sumus. De hac verò Materia ut plura hîc ad vos à me dicerem
tur, & solennitas hujus renunciationis, & necessitas discentium
postulare videbatur. Sed quia sub initium novi seculi non tàm
querulandum quàm benè ominandum est, monet nos augustissi-
ma Augusti Principis ac Legatorum nobilissimorum præsentia,
tum temporis quo concludimur, summa angustia, nec non senatu
Academici decretum, ut brevitati studeam, idq; solum agã, quo
auspicatissimæ renunciationi novi Prorectoris solenne ac propri
um est. Quare quod felix faustumq; sit, DEO præpotenti conser-
vatori hujus Academiæ perpetuo gratum, ac Reipubl. literari
cumprimis salutare, significo vobis, juvenes, ornatissimi, de cle-
mentissima sententia illustrissimi principis ac Domini Domini
AVGVSTI Ducis Saxoniæ, &c. Rectoris hujus Scholæ magni
ficentissimi, Domini nostri clementissimi: Ac totius senatus Aca
demici consspirante cõsensione in futurum semestre hybernum ele
ctum & designatum esse PRORECTOREM, virum Reveren
dum & Clarissimum Dominum DAVIDEM RVNGIVM sa
crosanctæ Theologiæ Doctorem & Professorem publicum. Hunc
vobis liberalium Artium studiosi & juvenes lectissimi, Magi
stratum à DEO constitutum serio cognoscitis, cui omnes, qui DE
VM verè timent, humili reverentia se subjicient, debitamq; cun

ipsi, tum legibus Academiæ obedientiam præstabunt, illud persuasum habentes, vocem legis non hominis, sed DEI altissimi esse vocem, ad cuius observantiam etiam jussu Apostolico impellimini: Oportere vos subiectos esse Magistratui vestro non propter iră modo, quam mali quoq; fugiunt, sed etiam propter conscientiam, quæ ut lucidissimum speculum DEI voluntatem expressè ostendit, juxtaq; examussim declarat aberationes ab illa perfectionis pictura nobis impressa. Ira namq; Magistratus, supplicia contumacibus irrogat: Conscientia verò nos coram DEO etiam reos convincit. Qui enim Magistratum contempserint, illi indubitatò sciant, DEVM contemptus huius fore vindicem, qui suum Administrum inuiolabilem, & sanctum esse voluit, ac se tandem horribiles conscientiæ cruciatus persensuros, qui furiæ sunt mordacissimæ & crudelissimæ, vltrices horrendæ contumaciæ, quæ in exitium præcipitant reos propter violatam honestatem, ac detrectatam justam obedientiam. Bonis & morigeris hæc quæ dixi satisfaciunt, illis verò, qui dedoluerunt, ne si centies plura à me dicerentur. Quod restat, DEVM æternum cum Mundi hujus vniuersum Rectorem, tum Academiæ nostræ statorem ac conseruatorem perennem toto pectore oramus atq; obtestamur, ut pariter deinceps, quemadmodum his centum annis, hanc scholam veri cultus DEI ac bonarum artium nutriculam benignè foveat ac tueatur ad finem usq; mundi. Inprimis verò sibi defendendum suscipiat Clementissimum Nutricium, serenissimum ac celsissimũ principem ac Dominum Dominum CHRISTIANVM II. Ducem Saxoniæ, sacri Romani Imperij Archimarschallum & Electorẽ, Landgraniũ Thuringiæ, ac Marchionẽ Misniæ; ac Illustrissimos Fratres ac Dominos, Dominũ IOHANNEM GEORGIVM ac Dominũ AVGVSTVM, Dominos nostros benignissimos quã diutissimè uigẽtes florẽtes, incolumes atq; salvos cõseruet

Maximè verò Augustum Principem Academiæ hujus Rectorem magnificentissimum perpetua gratia ac spiritu sapientiæ ac intelligentiæ, virtute ac vero Altissimi timore perfundat, ut sub horum illustrissima gubernatione honeste, piè ac tranquille vitæ curriculum perficiamus. Præstet idem clementissimus DEVS totam domum Saxonicam, quæ gratissimum MVSIS præbet domicilium, sartam ac stabilem, ut deinceps quoq; Christum, sanctissimumq; ejus verbum hospitio liberalissimè excipiat, exceptũq; foveat: Nos verò omnes paterno simul amore complectatur, & rore suæ cœlestis benedictionis uberrimè conspergat. DIXI.

ADAMI THEODORI SIBERI

Carmen Seculare

PRO SALVTE ET INCOLVMITATE ACADEMIAE Vuitebergensis.

MAximum sedis superæ parentem,
Optimam summi sobolem parentis,
Bis sacrum Flamen celebrate læti
Tempore festo.
Laudibus certent bene ominata
Verba divinis, duplicetq; plausus
Lingua gratantes, & ovantium ora
Iubila tollant.
Hanc Scholam denos decies per annos
Sospitem & salvam quoniam potente
Dextera servat, varioq; laudum
Flore frequentat,
Hîc nefandi Relligio tyranni
Fraudibus Caci caput expiatum
Sustulit rursum, nitidisq; cœli
Intulit astris.
Hîc & Hebræa, paritercq; Graia,
Et vel in primis Latia loquela
Scita vulgavêre scientiarum
Omnigenæ artes.
Ast abhorrenti impietas paratu,
Atque Divorum malesana turba,
Et prophanarum ceremoniarum
Ritus anilis,

Ilicet tetrum periêre Avernum,
Atra quà Styx errat inerte lapsu,
Crebra sed passim superexcitalo
Ponte superbit.
Altera ex parte agmine quadriformi
Se rudis stribligo agit exulatum,
Et Sophistarum malè feriata
Natio mendax
Ergo cœlestis patuêre & auras
Vocibus verbi meliora doctæ:
Ergo & humanis sonuère sensis
Ora diserta:
Anté quas dirus furiabat error
Romuli decreta Anomi pavere;
Ante quæ vecors ruditas vetabat
Hiscere verbo;
Iamq; doctarum genus omne pleno
Artium cultu viget: eruditi
Troicum certant & equum albicolles
Dicere Musas.
Testis est Germania tanta, testis
Dania illustris, populiq;, vel quos
Pannonis mittit populosa, vel quos
Finnonis ora.
Gentis humanæ sator, atque vindex,
Quem Patris mentem, sapientiamq;
Scimus æternam, solidumq; robur
Maxime Christe.
Candido mitis, placidusq; vultu,
Quo polum, terrasq; sereniore

Pace componis, ſtabiliq; nexus
Fœdere firmas.
Hanc ſcholam porroq; tuere præſens,
Remq; ſacrorum ſimul & librorum
Alterum in luſtrum, meliusq; ſemper
Ptovehe ſeclum.
Da probos mores docili Iuventæ,
Da profeſſorum bona fata turbæ,
Da tuis, quò te redament, colantq;
Credula corda.
Inclitam in primis aciem potentis
Saxonum præſta gladij: ſalubri
Explicet laté generoſa ſtirpem
Germine Ruta.
Vnde ſecuris ſibi tora euris,
Et tibi ſe Eccleſia dedat uni:
Vnde præluſtres Academia auctus
Docta reportet.
Fiat. hoc clarè quater, ampliusq;
Concinat nobis chorus univerſus:
Fiat. hoc rurſus juvet uſq; & uſq;
Dicere. Fiat.

Programma
FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN ACADEMIA VVI. TEBERGENSI.

AD

Bonarum Artium, Linguarum, & pietatis Studiosos,

DE

HONORIBVS MAGISTERII, CANDIDATIS Philosophiæ in solennitate Academiæ Iubilæa, ad XIX. Octob. D. conferendis.

Anno Christi M. D. CII.

TAM AVGVSTVM ILLVD tempus, pijsq; votis à nobis omnibus excipiendum, appetit, quo ACADEMIA VVITEBERGENSIS, primo ætatis seculo ad metam feliciter decurso, alterum ingredietur. Quod ut Academiæ felix, totiqúe Reipubl. salutare evadat, Deum toto pectore rogamus. Iam quanta hujus seculi felicitas exstiterit, gratis erga Deum mentibus considerare nos decet. Nam si unquam paterna Dei bonitas erga Ecclesiam Christianam, ab eo tempore, quo Evangelium Christi per universas Mundi plagas divulgatum est, se exseruit, in elapso id seculo abundè de-

monſtravit. Beneficiorum igitur Dei, in orbem Chriſtianum effuſorum, prolixus hîc Catalogus texi poſſet: Inter quæ hæc maximè elucent, quod imperium Germanicum, à tot & tam potentibus undiq; hoſtibus impetitum, Deus immenſa bonitate, protexit, defendit, conſervavit. Quòd tot inſulis ac terris in novo Orbe, quam Americam indigetant, inventis & detectis, ingens per commercia, & cætera minimè contemnenda, Reipubl. Chriſtianæ utilitas provenit. Quod omnes propè Artes, quibus humani generis ſocietas tantopere adjuvatur, ad ſummum perfectionis faſtigium adſcenderunt.

Hæc & id genus cætera, digna quidem eſſent, ut narratione diffuſa magnificè perſequeremur: Verum id neque temporis hujus eſt, neque inſtituti. De uno tamen hoc commonefacienda eſt juventus, in quo ſalus generis humani, & immortalis ACADEMIAE VVITEBERGENSIS gloria, conſiſtit. Vera Dei Religio, in Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis à Spiritu S. patefacta, per hujus ſeculi felicitatem revixit, cum per multas hominum ætates idololatricis Antichriſti Romani ſuperſtitionib⁹ penè emortua & ſepulta jacuiſſet. Reſuſcitata eſt lux Evangelij clariſsima, quod eo uſq;, velut igniculus ſub cinere demerſus, latuerat. Et cum eo ſimul renatæ ſunt omnes bonarũ artium diſciplinæ: Linguarumque eruditarum, quibus divina & humana Sapientia involuta eſt, ſtudia & exercitationes per Germaniam refloruerunt, ad eamque nunc maturitatem provecta ſunt, ut quod amplius, tùm ad utilitatis in Rempubl. hinc redundantis, tum ad voluptatis, liberalibus animis expetendæ, fructum requiratur, nihil omninò ſit reliquum. Vtrumque verò Dei beneficium, quo & Verbo cœleſti antiqua & nativa puritas, & literis priſtinæ integrita-

tis decus redijt, ACADEMIAE VVITEBERGENSI ſecundum Deum meritò acceptum eſt ferendum. In hac enim Deus Opt. Max. duo Germaniæ, imò totius Europæ, lumina excitavit, MARTINVM LVTHERVM, & PHILIPPVM MELANCHTHONEM: qui fideli ſua opera id effecerunt, ut VVITEBERGENSIS ACADEMIA reliquas omnes per totum orbem Scholas felicitate & laude antecellat. Alter enim ſalutare Dei Verbũ, Legem & Evangelion, per omnia doctrinæ τῆς ἰεροτυλίσεως capita; à Pontificis Romani inquinamentis repurgavit, verumq́; Dei cultum in Eccleſia, nimis diu Baalis Romani præſtigijs vexata, reſtituit. Ideoq́; tertius Elias rectiſsimè ab Orthodoxis appellatur. Alter (præter egregiam, quam Theologiæ repurgandæ operam cum D. Luthero, ut fidelis συνεργὸς, navavit) Barbariem à ſingulis Philoſophiæ ſcientijs profligavit, veramque Linguarum & artium humanitatis culturam in Germanîa noſtra inſtauravit. Quocirca ſi quis eum Germaniæ Μαγίστρον nominet, debitum veritati teſtimonium hunc perhibere, quis niſi cæcus amensq́; aut ipſa invidiâ malignior, negârit?

Hoc geminum Dei beneficium, per duo hæc eximia Dei organa, ſub decrepitam Mundi ſenectam, Germaniæ exhibitum, tanti ponderis eſt ac momenti, ut nullus ubique theſaurus, vel Salomonis aut crœſi divitias amplitudine excedat, cum eo conferri, nedum æquiparari, mereatur. Quid enim verâ Dei cognitione, quæ per Lutherum nobis rediit, & æternam beatitudinem coniunctam habet, precioſius, magisq́; expetendum? Quid germano Sapientiæ eruditæ, Artiumq́; humanitatis cultu, præſtabilius, & ad vitam probè beateq́; agendam accommodatius? Vertamus retrò oculos, & conferamus cum hoc ſeculo ætates ſuperiores, Con-

ſtantini

ſtantini M. ætatem ſubſecutas: nullius profectò tantam exſtitiſſe felicitatem deprehendemus, quantâ noſtrum hoc ſeculum Deus exornavit. Iam ſi locum æſtimemus: Quis in tota Europa beatior eſt? quis illuſtrior, VVITEBERGA? Hanc prærogativam per ſingularem æternæ Providentiæ benignitatem conciliavit FRIDERICVS III. Saxoniæ Elector, verè SAPIENS, dum ACADEMIAM in hac Vrbe, ſuâ munificentiâ conſtitutam, veræ pietatis & doctrinarum φυτώριον & Officinam eſſe voluit. Id quod ſummæ illius felicitatis quaſi fons eſt atque origo. Quòd verò hactenus non conſervata tantum eſt, ſed etiam ad ampliſſima incrementa progreſſus fecit ACADEMIA, & præ cæteris effulget, id ſucceſſoribus FRIDERICI III. Saxoniæ Principibus Septemviris, poſt Deum unicè debemus.

Pro tantis ergo beneficijs, ſolennia Gratiarum ſacra nos, Academiæ hujus membra, divinæ bonitati facere, par eſt, Tota ſanè Germania, ſuaviſſima fructuum hinc ad ſe exuberantium recordatione, exſultare gaudio nobiſcū debet. Et haud dubiè omnes in ea rectè ſentientes pietati hoc ſuæ cõvenire, jam dudū ſibi perſuaſum atq; certū habent.

Hæc verò tanta Dei merita, ut juſtius expendi ab univerſis & ſingulis queant, inclyta hæc ACADEMIA, decurrente, ad annum centeſimū, natali ſuo auſpicatiſſimo, FESTVM IVBILAEVM agere conſtituit: idq; non ſolùm approbante & volente, ſed etiam poſtulante & adjuvante, Illuſtriſs. Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO II. DVCE SAXONIAE, S. Romani Imperij Archimarſchallo & ELECTORE; Landgravio Thuringiæ, Marchione Miſniæ, Burggravio Magdeburg. &c. Domino noſtro clementiſſimo. Vt enim paterno ACADEMIAM noſtrã favore cõplectiſſemel ab initio cepit, nihilq; quod ad amplificandam

exornandamq; illam conducere videatur, prætermittit: ita in hanc etiam curam animi celsiss. cogitationem demittit intenditq;, ut solennes Iubilęi ferias augustiores & celebriores reddat.

Cum itaq; in prima Academiæ hujus introductionę, inter cæteras festivitatis Pompas, Magistrorum etiam Promotionem à Sapientissimo Fundatore olim adhibitam cõvivioque liberalissimo donatam, sciat: munificentiæ suæ ELECTOR Serenissimus id esse deputat, ut in secunda hac Academiæ consecratione, Prędecessorem in hac parte suum imitetur, & Iubilæi ineuntis festum Magistrali Promotione exornandum, convivioq; sumtibus Clementiæ suæ exhilarandum, curare non dedignetur. Quo eximio liberalitatis argumento, quàm mirifica Celsitudinis ipsius erga Academiã, & Collegiũ Philosophicum, ipsaq; Philosophicæ disciplinæ studia, & horũ cultores, sit propensio, egregiè testatũ facit. Celebravit olim Roma Augustũ & Claudiũ, cæterosq; Imperatores, qui ludos sęculares tantis impędijs magnificẽtissimè peregerunt. Quis verò illorũ, Scholis (quibus aliàs nihil despectius) tantum honoris tribuit? tantũ beneficentiæ impendit? Vt ergo Nutritoris clementissimi beneficiũ gratis animis veneremur, & pijs votis prosequamur, tùm munificentissima ejus liberalitas, tùm sincera, quæ in nobis esse debet, pietas monet, obstringit, exigit.

Iam quod restat, Tibi studiosissima juventus, pro officio nostro significamus instantem renunciationis Magistrorũ Philosophiæ *πρεθεσμίαν*, propter majorem Iubilæi hujus anni celebritatem, in XIX. Octobris diem, de ILL. Septemviri nostri benignissima voluntate, prorogatum iri. Atq; id primum est. Alterum quod à nobis denuncietur, hoc est. Si qui, in Artibus Philosophicis & Linguis, doctrinaq;

pietatis

pietatis progressuum sibi conscij, in promotionis huius partem venire, & tanto insignius inde testimonium reportare velint, ut sua apud Spectabilem Collegij Philosophici DECANVM, nomina maturè profiteantur, & delectorum ex Facultate censorum Examini, secundum Leges, se modestè & reverenter submittant, & quæ Fisco Examinatoribusq;, pauca sanè, debentur, exsolvant. Ac pro judicii Facultatis æquitate, βραβεῖον tandem exspectent.

Tibi æterne pater gratias immortales agimus, quòd per sincerum Filij, Domini nostri Iesu Christi verbum, & Sacramenta Ecclesiam ex genere humano adhuc tibi colligis, & per Spiritum sanctum idoneos ad hoc opus ministros in messem tuam extrudis, Scholasq;, ubi in eruditis illi disciplinis præparentur & excolantur, per Sapientes ac beneficos Magistratus: inter quos primo loco Illustriss. *SAXONIAE ELECTOREM* meritò prædicamus: nutris, provehis, conservas. Da benignissime Pater, ut in hac Academia, sinceræ Theologiæ, sanæq; Philosophiæ studia perpetuò de hinc floreant: & ex hac Metropoli, ut hactenus, ita etiam posthac, Ecclesiæ & Scholæ bene constitutæ, in omnes Europæ regiones tanquam coloniæ, propagentur: ad insignem nominis tui gloriam plurimorumq; hominum salutem. Amen.

P. P. & Facultatis Philosoph. Sigillo subsignatum.

V Vitebergæ: Die Nativitatis Mariæ, Anno Christi M. D. CII.

DECANUS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI, ANDREAS UR. SINUS, SANDERSLEBIENSIS, Anhalt. Phil. & I. U. D.

APud Hebræos quinquagesimo quo, quo anno, nimirum Iubilæo, quæ tellus sua sponte proferret, indigenis & advenis communia, & in promiscuum usum cessisse, debitoribus fœnora relaxata, servis libertatem donatam, prædia quæ viliùs vænissent, certis legibus ad priores dominos quasi postliminij jure fuisse reversa, scripturâ sacrâ & Iosephi antiquitatum libris passim edocemur. Ad exemplum testamenti veteris qualecunque Bonifacius Octavus, Episcopus Romanus, circa recuperatæ salutis annum millesimum ducentesimum nonagesimum quintum, ab Ethnicis & inanibus secularium ludorum spectaculis avocaturus populum, de Iubilæo quodam Christianorum introducendo, & ad centesimum quemq; annum renovando, deliberationem suscepit. Celebratus igitur sub ipso fuit primus Iubilæus, anno 1300. quo spiritualem libertatem, omniumq; peccatorum plenam & certam remissionem omnibus Romam venturis, ad Apostolorum limina preces suas effundẽtibus; prolixè pollicebatur. Testatur Platina, tantam undiq; hominum multitudinem Romæ eo confluxisse anno, ut vix per urbem, quantumvis amplam & vastam, incedere licuerit. Cæterum, referente eodem Platina & Sabellico in Enneadibus, cùm Romani, homi-

nis ætatem centum annorū Iubilæum attingere vix posse prætenderēt, à Clemente Sexto petitum obtētumq; fuit, ut anno quinquagesimo quoquo repeteretur. Sub hoc ipso Clemente, tantam cōcurrrisse turbam Romæ Fr. Petrarcha αὐτόπτης & Cranzius testantur, ut planè mirū non acciderit, peste gravissima inde exorta totam Italiam in tantū fuisse exhaustam, ut ex mille decimus quisq; vix superesset. Vt ætates penè omnes solennium indulgentiarū fierent participes, Vrbanus Sextus, trigesimo tertio quovis anno Iubilæum, tandémq; Xystus seu Sixtus Quartus 25. quovis, id quod & hodie observatur, solenniter restaurari jussit, annotāte Onuphrio Panvinio, ceremonias usitatas cōmemorante Sleidano lib. 21. Cùm autem ex frequentibus Iubilæis magnas accessiones consequi fiscum intelligerent Ponrifices Romani, sæpius, etiam extra ordinem, in provincias & regna, in urbes & vicos gratiam & delictorum veniam per diplomata transmiserunt, hac lege (cujus exempla recitant Martinus Cromerus lib. 22. & Polydorus lib. 8. cap. 1. de invent.) ut quisq; certam partem ejus, quod in itinere Romano Impensurus esse videretur, pro fisco Romano augendo in capsam reponeret. His aucupiis an. 1500. Alexandrum Sextum supra trecenta aureorū millia cudisse, ejúsq; filiū Borgiam Cæsarem, cū cētena millia aleę lusu perdidisset, exclamasse testātur? Quid aliud quàm Germanorum peccata amisimus? Non fert instituti mei ratio, plurib. nugas illas recensere, & nō tantùm fundorum, sed corporum insuper atq; animarum calamitates æternas deplorare: Vnum addo sub Nicolao V. Cùm semel è vaticano, visa imagine Salvatoris, ad urbem redirent, factáque obvia esset mula Petri Barbi Cardinalis Sancti Marci, nec venientes, nec redeuntes,

ob multitudinem insequentem, possent cedere, ducenta hominum corpora obtrita & suffocata esse in ponte Hadriani cum Platina referens. Verum enim verò cùm ex immenso Dei beneficio centesimum natalem attigerit hæc Academia, non Ethnicorum more profanos & seculares lùdos instaurat, non gratias & indulgentias pontificias proclamat, sed omnia in eam maximè partem facit, ac cogitat, ut omnibus modis & rationibus, in nostris solennioribus & secularibus panegyribus gratæmentis pietatem pro innumeris divini favoris indiciis, hoc seculo sibi exhibitis, publicè manifestam reddat, ac simul ardentibus suspiriis, & precibus conjunctis, Dei præsentiam & clementiam in succedentis seculi longitudinem precetur & exoptet. Idipsum sibi hoc quoque vult, quod Illustriss. & Serenissimi Principis & Domini, Dn. CHRISTIANI II. Ducis & Electoris Saxoniæ &c. Domini nostri Clementiss. jussu & benignissima voluntate, ornatissimi & amplissimi Collegij philosophici actus magistrandorum, qui mensi Septembri competebat, in Octobris diem XIX. traducendus fuit. Accidit enim, quòd fermè dimidia sexaginta quatuor Candidatorum pars, mensis Septembris actui destinata, reliquorum seriùs invitatorum coronationem expectare necesse habuerit. Quod igitur Academiæ & toti Reipubl. literariæ, Ecclesiæ Christi, & politiis, faustum & felix esse jubeat æternus Deus, ad proximum diem Martis in templo arcis 64. Candidatis, viris ac juvenibus Reverendis, honestis, & doctis testimonium doctrinæ, & laureæ philosophicæ solenne & publicum, ex communi decreto Collegij philosophici, perhibebitur. Quapropter singulos & universos Academiæ ci-

ves,

ves, omnium ordinum Doctores, Magistros & studiosos, candidatorum honoribus, & studiorum philosophicorum incrementis bene cupientes, peramanter & officiosè rogamus & invitamus, ut tum ad solennia vota, quæ pro conservatione Academiæ ad Deum concipientur, tum ad renunciationem seu proclamationem magistrandorum frequentes & benevoli adesse non graventur. Oramus autem veris gemitibus DEUM unum & trinum, ut scholæ nostræ halcyonia dulcissima, & nutricios benignissimos ulteriùs tueatur ac largiatur, sempérque in ea docentes & discentes omni benedictionis genere, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ, politiarum, & ipsorum proprium emolumentum, cumulet. Bene valete.

P. P. pridie S. Lucæ, Anno Christi 1602.

Oratio secularis,

Publicè habita VVitebergæ,

IN SOLENNI LXIV. MAGISTRORUM CREATIONE:

A

LAURENTIO RHODOMANO,

P.C. & Profess. Pub. atque Collegii Philoloph. tum per semestre hybernum

DECANO.

IVBILAEVM ACADEMIAE NOstræ Festum, Illustrissime Princeps AVGVSTE, & Rector Acad. Magnificentiss. Nobiliss. strenuiq; Electoriæ Celsitudinis Legati, Magnifice Prorector, Generosi & inclyti Barones, Reverendi & Clariss. Proceres Academici, tùm hospites tùm incolæ; Nobiles etiam, doctissimi, ornatissimiq; viri, ac juvenes Studiosiss. quotquot in hoc Theatro amplissimo congregati estis: Iubilæum inquam Academiæ Festum, etiam hac Philosophici Actus solennitate celebrius reddi voluit Septemviri nostri serenissimi prudentia & benignitas: Cui post Deum, incolumitatem suam decoraq; & commoda, quibus hodie fruitur, Academia unicè accepta refert. Ideo Promotio Candidatorum Philosopiæ, quæ more antiquitus tradito ac recepto circa AEquinoctium peragi solet, ad hoc usque tempus dilata fuit. Hanc verò unde melius, hoc est justus & decentius, auspicemur, quam gratæ erga Deum, & Nutritios Academiæ beneficentissimos, mentis testificatione? Tanta enim Dei bonitas in hanc Academiam à

primordijs eius usq; ad hodiernum diem se effudit, ut haud sciam, an ulla per totam Europam, in hoc quidem genere, cum Vitebergensi conferri mereatur.

Germaniæ certè Scholas si ad comparationis examen vocemus, rem ita se habere liquidissimè cognoscemus. Quæ enim, in hac communi nostrum omnium Patria GERMANIA, *doctrinæ sinceræ eruditæq; officina est, quæ non veluti stella aliqua minor, ab hoc Sole, in omni disciplinarum genere, lumen se mutuatam agnoscat & fateatur ultro? Quod si aliquæ exsistunt, quæ in Philosophicis Artibus peculiarem & propriam quandam sibi laudem vendicent: in Theologica tamen disciplina, quicquid integritatis restitutum habent, id Academiæ nostræ, tanquam Theologiæ instauratrici, meritissimè se debere, protestantur. In hoc equidem προτερήματι & prærogativa Academiæ, tantus beneficiorum Dei cumulus est repositus, ut ἀγαθῶν ἀγαθῖδα verissimè hãc nominemus. Tot verò & tam inæstimabilia Deus beneficia Academiæ huic elargitus est per Illustriss. Saxoniæ Duces & Electores. Hos bonitatis suæ ὑπηρέτας & administros esse, cum divinis illis viris, per quos religionis sinceritatem, & antiquum Philosophiæ decus, instauravit, & per huius seculi decursum longè lateq; propagavit, summo rerũ moderatori placuit. His ergo charisteria nos exsolvere, cum alio, tùm hoc præsertim tempore, pietas monet, requirit, deposcit. At cum præter laudes & vota nihil repensare habeamus aliud, hoc saltem quod in facultate nostra est, unanimi sensu & consona voce, Deo summo benefactori, Heroibusq; præclarè meritis, retribuamus: Illi nimirum vota, his meritorum præconia & celebrationem: utrumque sanè ex animo grato profectum.*

Quapropter tibi, cœlestis & æterne pater, una cum filio

tuo D. N. IESV CHRISTO, & Spiritu sancto, ejusdem divinitatis, omnipotentiæ, majestatis, gloriæ & æternitatis consortibus, gratias, quæ animo concipi possint, maximas agimus & habemus, pro hoc inenarrabili beneficio, quod tibi in genere humano, per vocem Evangelij & administrationem Sacramentorum, Ecclesiam colligis & conservas: quæ te verè cognoscat, rectèq; colat, nosq; membra ejus facis: ut gloriæ ac beatitudinis sempiternæ in Cœlo participes reddamur, quod perpetuo benignos illi donas Nutritores ac Patronos: à quibus Scholæ, Ecclesiæ tuæ plantaria, instituantur, foveantur, propagentur: quod Apostolos, Evangelistas, pastores & doctores idoneos & salutares mittis, hisq; scribas & Prophetas, hoc est, Theologiæ interpretes, & doctrinæ eruditæ professores, adiungis: quod immensa bonitate hanc alteram quasi Bethlehem præcunctis terrarum locis tibi delegisti, ubi Filius tuus, servator noster, Evangelij fasciis involutus, denuo nascereiur: & unde vera Religio, cum intaminata verbi tui doctrina, Linguarumq; & Artium studijs, tanquam rivi, ex limpidissimis Israëlis & Musarum fontibus, in totam Europam dimanarent. Quod beneficium tantæ æstimationis est, ut nulla Gratiarum actione, in hoc mortali ævo, vel minimam ejus partem assequi valeamus. Fac benignissime Deus, ac pater omnis misericordiæ, ut perpetuo, ad glorioſam usque apparitionem filij tui, nos cum posteritate illo fruamur: & tuam inde gloriam illustremus: Ecclesiaq; tuæ propagationem, pro suo quisq; modulo strenuè ac fructuosè adjuvemus.

Votis his Deo nuncupatis, jam longiore præfatione omissa, ad institutum nos conferemus.

Dispicientibus igitur nobis, quid huic tempore & loco, ipsiq; officio, quod in præsentia gerimus, conveniret, hoc potissimum occurrit, ut bona, quæ per hoc seculum Academiæ nostræ

Deus præstitit, recenseamus. Hac equidem prædicatione fiet, ut merita Dei, in nos per illustrissima exquisitaque organa stupendum in modum collocata, examine accuratiore pensiculemus, gratiq; animi studium intentiore consideratione in nobis excitemus.

At quia ingens hic rerum copia offertur, latiusq; sese extendit, quam temporis angustia capiat: uberiore expositione alijs relicta, strictius & generatim omnia proponemus. Commodior autem ordo non occurrit, quam ut primum beneficia Dei per illustriss. Saxoniæ Principes VIIViros, ab initio huc usque exhibita, percurram: Deinde quid per electissima divinæ misericordiæ ἐκτύπα & instrumenta Lutherum & Philippum, Reipubl. Christianæ sit præstitum, attexam. Vos auditores benignissimi, rogatos volo etiam atque etiam, ut animos huc benevolos, auresq; vacuas, attemperare interim ne dedignemini. Sunt quidem in hac Oratione mea, quæ heri copiosissimè à Primario Academiæ nostræ Profess. Rever. & Clariss. D. D. HVNNIO explicari, temporis occasio, & prudens instituti ratio jussit. Sunt quæ divina, TAVBMANI Poësis, melius quam vel ipse Maro, decantavit. At δὶς τὰ καλὰ (Bis quæ pulcra sunt) juventuti Scholasticæ dici, non utile est tantum, sed & necessarium. Laudes equidem Principum, tam preclarè de Repub. Christi meritorum, quis uno sermonis genere comprehendendas putet? Nonne hic tam soluta orationis scriptori quam ligatæ, & vicissim tam Poetæ quam Oratori, qua potest fieri contentione, elaborandum? Hic Theologus, hic Philosophus, hic Politicus, Hic quicunq; Logodædalus esse potest, desudet. Verum ad rem ipsam.

Iam omnis seculorum experientia testatur, hanc perpetuum esse Dei morem, ut sub insignes Reipub. & Ecclesiæ mutationes, in salutem generis humani redundaturas, Principes excitet. Heroica corporis animiq; virtute excellentes, idoneisq; administris in-

instruat, per quos immutabilia providentiæ suæ decreta tãto illustrius exsequatur. Cum Asiam olim novis legibus & institutis reformare constituisset, Heroico Alexandri M. robore & impetu, Procerumq; illi adiunctorum dexteritate, ad hoc utebatur. Cumq; Israëlitas ex servitute omnium gravissima tandem liberaturus, & in promissas quondam pactasq; illorum patribus sedes introducturus esset, Mosem tantæ rei destinavit, eumq; donis vulgarem humanæ imbecillitatis captum longè excedentibus, sapientia, auctoritate, successuq; rerum gerendarum singulari, exornavit, utq; tantæ moli par esset, Aaronem illi fratrem eloquentia & sanctitate conspicuum, ut fidelissimum συνεργὸν attribuit. In partem administrationis postea etiam LXXII. virûm senatus accessit.

Ita cum Deus Opt. Max. Germaniam, & præcipuè has Saxoniæ terras, Pontificiæ servitutis jugo eximere, & perpetuò deinceps vindicatam esse vellet, heroës ad hoc efficiendum aptos, pro inexhausta sua benignitate, delegit, eosq; cum administris, tum alijs adminiculis convenientibus & necessarijs instruxit. Hi fuerunt, & adhuc sunt, ut & perpetuo sint, ex animo precamur serenissimi ac potentissimi Saxoniæ Duces, & creandis Romanis Imperatoribus Septemviri. Nam his tanquam militiæ divinæ imperatoribus, Et Martino Luthero, Philippoq; Melanchthoni ut vexilli feris & antesignanis, cæterisq; illorum collegis & successoribus, eandem militiam fideliter ac strenue obeuntibus, secundum Deum, omnis boni auctorem, hoc cœleste bonum unicè debemus; quod Ecclesiæ Christi, doctrinæ puritas & religionis integritas: studijs literarum, adeoq; totius Philosophiæ disciplinis pristinus germanumq; cultus: Germaniæ etiam sua libertas, excusso Antichristi Romani jugo & depulsis Idololatriæ inveteratæ tenebris, Barbariæq; diuturnæ inquinamentis, postliminio redîere, & adhuc conservantur. Ita sanè, ut Viteberga nostra cum beatissimis

sissimis, quæ unquam in orbe terrarum eminuerunt, urbibus felicitate ac gloria certare non vereatur.

Quis Princeps hujus beneficij exstiterit, quæris? FRIDERICVS Sille sapiens, Friderici secundi ex F. Ernesto Nepos. Friderici I pronepos. Is & laudabili Principum aliorum, qui ante ipsum in Germania Academias condiderant, exemplo inflammatus, & communi Septemvirûm decreto, quod præeunte Imperatore Maximiliano I. in comitijs, ad Vangionum urbem A. C. CIↃ. CCCC. XCV. celebratis, fecerant, ut unusquisq; Elector in sua ditione Academiam bene constitutam haberet; hoc ergo instigatus, maximè verò publicæ utilitatis ratione impulsus; ad novæ Academiæ in suo territorio constitutionem animum adjecit. Neq; enim religionis sinceritatem, neq; imperij decus & salutem, absq; linguarum & Artium disciplina consistere posse, Vir sapientissimus videbat.

In proposito autem valdè eum confirmavit ERNESTVS frater, Archiepiscopus Magdeburg. & Germaniæ primas; jàm pridem à Raimundo Cardinali ad tale consilium Friderico subijciendum incitatus. Nec deerant monita & hortationes sapientissimorum tunc hominum in primis Iohannis Straupicij, Augustinianorum in Germania cœnobiorum supremi inspectoris; Itemque Martini Polichij Mellerstadij, quos honoris causa præ cæteris nominamus. Mellerstadius equidem, cum de loco disputaretur, alijque alium suaderent, Vitebergam omnibus cæteris præferendam censuit, & hoc argumento pervicit: Quod Princeps ad gratium huic loco referendam obstrictus sit, quia majores eius præcipuam ex eo dignitatem consecuti sint: additque, Academiam hic conditam sua luce cunctas in Germania cæteras obscuraturam. Amplexus & consilium & omen Princeps, Vitebergam Deo & Musis illico consecravit,

Academiamq́, ex sacerdotijs Canonicorum hujus oppidi largè dotatam, XIIX. Octobris die, qui Lucæ Evangelistæ sacer est magnificè inauguravit. Primusq; tunc Rector creatus est, quem nominavimus paulo antè, Polichius, lux Mundi appellatus: quod trium Facultatum Doctor esset. Inter alias tum introductionis ceremonias, concionem in hoc Arcis templo, (quod & ipsum FRIDERICI sapientis opus & monimentũ est) Doctor Iohannes Flecceus, cœnobij Steinlausigensis ad Muldam Prior, habebat. Vbi dum pijs novam Scholam votis inaugurat, ex hoc candido monte (inquit, ad Etymon urbis alludens) sapientiæ & vitæ flumina in orbem universum redundabunt.

Hæc initia sunt Academiæ, & fundamenta ædificij tam præclari: quod paulatim ad eam gloriæ sublimitatem se extulit, ut fastigio cœlum attingat; eamque benefactorum mensuram explevit, ut fructus illorum in totum orbem (non dicam amplius Europæum vel Christianum sed illum etiam remotiorem, Asiaticum puta & Africanum, imò & Americanum, quocunq; videlicet generis humani societas pertingit, & ubicunq; aliquam Christi Servatoris nostri Ecclesiam esse aut fore, spes est) exuberent, Deoq́ nostro lucrum gratissimum jamdudum fecerint, hodie faciant, & porrò, quæ sementis divinæ proseminatrix vis est, citra impedimentum, vel tacito quodam modo, sint facturi.

Proximum à fundationis opere studium Principis erat, ut viros qui cum fructu juventutis, & laude Academiæ, studijs præessent, undecunq; delectos evocarit. Et primos sanè Professores partim Lipsia, partim Tubingia (ad cujus Scholæ formam leges etiam compositæ fuêre) suppeditavit. Postea etiam alij alibunde, sed non nisi in omni doctrinarum genere præcellentes, accersiti venerunt.

Inter quos, ut Sol & Luna inter sidera eminent, Luiberus & Melanchthon præcelluerunt. Enimvero Luiberum statim ab

initio in magno habebat precio. Nam ut Theologiæ Doctor vel invitus crearetur, non tantum auctoritate sua jussuq; effecit, sed ad promotionem sumtus etiam contulit. Deinde cum Evangelij doctrinam repurgare cepisset, jamq; totum Antichristi regnū fraudes ac vires contra illum exsereret: non destituit virum Dei, ab omnibus tamen desertum; non prodidit toties & tam improbè ab hostibus expetitum: sed ut semel complecti eum ceperat, ita ad extremum usq; halitum dilexit ac fovit; contraq; Anathematis pontificij & imperatoriæ proscriptionis fulmen constanter protexit ac defendit. Quod igitur condita, & munificè dotata fuit initio hæc Academia, Divo huic FRIDERICO acceptum est ferendum. Ideo non minorem grati animi cultum huic suo conditori VViteberga debet, quam Athenæ olim Theseo, aut Roma suo Romulo; quos heroicis post obitum honoribus religiosè venerati sunt. Imò tanto magis huic devincti sumus, quanto amplioribus nos, & totam Christi Ecclesiam, meritis affecit.

Nunc à primo fundationis beneficio ad secundum transimus: quod felicissima Scholæ incrementa & confirmationem habet. Cum enim ex mortalium consortio, ad beatissimam Dei in cœlo consuetudinem, translatus esset optimus Academiæ fundator: serenissimus frater ejus IOANNES, tam in Academiæ hujus inclytæ accurationem, quam cæteras gubernationis partes, successit. Nam ante omnia gnaviter operam dedit, ut etiam deinceps forent, qui omni solertia & fidelitate prælectiones Academias & exercitationes obirent, & disciplinam Scholasticam administrarent. Professores itaq; doctissimos liberalibus stipendijs conduxit, conductos q; benevolentia & honore eximio comprehendit. Imprimis vero benignitas ejus erga Lutherum & Melanchthonem insigniter eluxit. Denique intra breve illud septennij spacium, quo rerum potiri in hoc Septemvirali imperio illi per fa-

ta licuit, tam felici successu Principis conatum fortunavit, ut ex herbescente adhuc segete, ad florem pulcerrimũ Academia perveniret, & exoptatissimæ frugis maturitatem consequeretur. Nã VVitebergæ disciplinarum omnium studia, Melanchthonis & συνεργῶν assidua & indefessa operâ, mirificè effloruerunt. Theologiæ autem reformatæ lux tanto cum splendore effulsit, ut totam ferme Europam radijs suis illustraret. Tantum potuit effecitq; publica & solennis Ecclesiarum Saxonicarum Confessio, quam Carolo quinto Imperatori, coram totius Imperij Senatu, Ioannes Elector, ordinesq; Imperij Germanici cum eo conjuncti, Augustæ exhibuerunt.

Stabat ibi Confessor hic egregius, cum paucis quibusdam eidem confessioni addictis, à reliqua mortalium turba separatus: & pro vera Christi doctrina, per Lutherum instaurata, Pontificiæ excommunicationis & proscriptionis Imperatoriæ terrorem & pericula, totiusq; Mundi odium, & Dæmonum tartariorum fremitum, animo prorsus invicto sustinebat: cum Davide idemtidem hoc cordi suo occinens: In Domino speravi; non timebo, quid faciat mihi homo. Vnde & Constantis titulum meritissimè reportavit.

Si quis ergo hanc Academiæ VVitebergensis ἀκμὴν fuisse dixerit, nequaquam, meo quidem judicio errabit. Iam quantum sit hoc secundum Dei beneficium, in Acad. VVitteberg. tunc effusum; veritatem Evangelicam, in illa pridem revelatam, publica Nutritij Confessione toti orbi demonstrari; invitusq; adversarijs, ac contra infrendente universo Mundo, palmam obtinere, quæ nulla temporis longinquitate emarcescat, omnibus verè pijs & Orthodoxis æstimandum relinquo.

Cæterum ut illustrissimus hic Princeps ad maturitatem Academiam hanc provexit: ita IOAN. FRIDERICVS, post obitum

parentis

parentis non in vigore tantum illam conservavit: sed nihil omnium prætermisit, quæ ad emolumenta decorag; ejus conducere viderentur. Namq; Academiam etiam ipse favore paterno complexus est, & quam benignissimè fovit. Et quidem statim, sub primum gubernationis ingressum: magnam pecuniæ vim erogavit: qua & salaria professoribus adaugeret, numerumq; docentium ampliaret. Mox ad ampliora eâdem munificentiæ via grassans, pagos unà cum reditibus & jurisdictione, qui Canonicorum hactenus peculium fuerant, ab antecessoribus illis attributi, Academiæ dicavit: ut perpetuum illa quasi patrimonium deinceps haberet. Atq; ita Fiscum in Academia fundationis constituit. Fundatoris igitur laudatissimi titulum hoc immortali beneficio ad omnem gratæ posteritatis memoriam, sibi comparavit. Bibliothecam præterea sumtibus planè regijs instituit, & nova idemtidem librorum accessione locupletavit. Quid? Quod Doctorum aliquãdo promotionem illustri præsentia sua condecorare, illustrationemq; facere, non est dedignatus: ut hoc etiam pacto affectionem suam, benigni favoris plenissimam, erga literarum Artiumq; studia & gradus Scholasticos, eo luculentius testatam redderet. Repræsentavit autem hoc ipso raræ benignitatis in Principe erga ordinem scholasticum facto potentissimi Romanorum Imperatoris Pompeij Magni exemplum. Qui cum à bello Mithridatico rediret, tertium de tertia Orbis parte, eumq; omnium clarissimum in patria triumphum acturus, Rhodũ divertit: ibiq; omnes liberalium Artium professores, audire prosummo habuit oblectamento. Sed cum morbo tum detineretur Posidonius, Stoicæ disciplinæ Professor longè celeberr. ægrotũ domi visitare in lectulo non dubitavit. Id quod Septemvir hic noster non minori cũ admiratione ac laude præstitit, cum in Smalchaldensi conventu Lutherũ periculosè decumbentem non invisit modo, sed his etiam ver-

bis

bus consolatus est. Si omnino ita visum Deo foret, (quod tamen non speret) ut ex vita mortali ad immortalem vocaretur: ne de uxore ac liberis solicitus esset. Illam enim & hos pro suis se habiturum. O pectus pia humanitatis, & humana pietatis verè plenum! O Principem Deo ac Musis exemplo singulari addictũ! Fuit enim is cum omnis doctrinæ liberalis, tum Theologiæ, admirator & patronus singularis. Lutherum certè, ut patrem in precio & veneratione habuit. Favorisq; ejus & beneficentia in Ecclesias & Scholas documenta eximia ad omnem posteritatem, nũquam intermoritura exstant. Longeq; majora accumulaturus erat, si per hostium infensissimorum perpetuas machinationes in atrox tandem bellum erumpentes, licuisset. Dum enim pro focis & aris propugnat heros magnanimus & invictus, Deo pro inscrutabili providentiæ suæ consilio id permittente, succumbit. Sed tantũ aberat, ut divina tunc veritas succumberet, ut etiam multò sublimius, palmæ instar, contra onus validius premens insurgentis, sese extolleret, clariusq; eluceseeret.

Hoc igitur tertium Dei beneficium est Academiæ nostræ tributum, quòd per Ioan. Fridericum Electorem majores ad amplificationem sui atq; illustrationem fecit progressus,

Conferemus nos inde ad quartum. Quanquam enim velut in naufragio, una cum nauclero, suo jacturam fecerat insignem Acad. VViteberg. imo tota res Christi publica: Iamq; actũ videbatur de religione sincera, studijsq; doctrinarum, & periculum erat, ne pro luce Evangelij Pontificiæ deinceps tenebræ, & pro disciplinarum cultu nitidissimo, squalida Barbariæ stribligo, & inertia Monachorum, aut Sophistarum fraudes, denuo invalescerent: alij tamen ex eadem Saxonicorum Electorum familia exorti sunt Heroes, Deo afflictum Ecclesiæ & Scholæ hujus statum benignè respiciente, qui res ferme perditas non modo re-

parārent,

pararent ſed illatas etiam clades majoribus emolumentis compenſarent. MAVRITIVS enim Dux Saxoniæ, invictus ille heros; in quem veriſſimè quadrat Homericum illud: Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής: Rex bonus in civeis, fortis bellator in hoſtem; Is, inquam, fatali quadam ſed tamen ſalutari harum regionum Eccleſijs converſione, Septemviratum præterditionem ſuam adeptus, omnia in priſtinum vindicavit. Hic disjectas per totam ferè Germaniam navis lacerata tabulas recollegit, & revocatis maturè Profeſſoribus, in primis Melanchthone, agmen Scholaſticorum denuo coegit; Stipendia iterum conſtituit auxitq; operas diſtribuit, & reliqua ſic ordinavit omnia, ut nihil quod ad priorem εὐκαταστασίαν & felicitatem pertineret, deſideraretur. Ergo quod Acad. Viteberg. funeſto Germaniæ bello diſſipata, in unum denuo corpus coagmentata eſt atq; inſtaurata, id totum Mauritio Electori vendicetur. Hic noſter Camillus eſt, qui hoſtes à capitolio obſeſſo fortiter depulit; & Quirites huc illuc diſperſos in patriam miſerè vaſtatam reduxit. Hic Macabæus noſter eſt, qui decuſſo à populorum cervice Syrorum jugo, patriæ libertatem armis vindicibus aſſeruit, & templum Dei, ab impijs & ſuperſtitioſis gentibus profanatum, reducto ſincero Dei cultu, expiavit, pacemq; genti ſuæ florentiſſimam, totiq; imperio decus integrum, reſtituit. Per hunc enim antiqua Germaniæ libertas vindicata: per hunc aurea religionis pax conſtituta: per hunc cæleſti doctrinæ ſinceritas, & Scholis tranquillitas ſtudiorum reverſa eſt, & ad hoc usq; tempus durat. Deo immortali pro tantis beneficijs, ſit gloria immortalis.

Inſtaurationis itaq; beneficium, ab Electore quarto præſtitum, hoc eſt. Sequuntur cætera, in amplificatione ac conſervatione Academiæ poſita, & ſi non pluris, certè non minoris æſtimanda. Cum enim Mauritium heroicè defunctum AVGVSTVS frater in imperio excepiſſet, inter præcipuas ſuæ gubernationis cu-

ras hanc esse voluit, ut Academia Vitebergensis non minus quam Lipsensis, optima conditione foret. Immensam ergo pecuniæ vim, tum in alios Academiæ usus, tum in professorum sustentationem (Nã de incredibili ejus in alios munificentia hîc dicere nihil attinet) de suo erogavit. Professorum enim & alumnorum stipendia numerumq; argumentavit, & novæ Academiæ ædificia eduxit, veteraq; exornavit. Ad privilegia insuper immunitates & commoda docentium & discentium in hac Schola, privatim & publicè eam fecit accessionem, ut fundatorem ipsum & antecessores longo post se intervallo eum reliquisse, fatendum sit.

Sed hæc quamvis maxima, exigua tamen censeri possunt, si cum illis conferantur, quæ pro vindicanda & conservanda Theologiæ sinceritate heros iste suscepit ac peregit. Absq; hujus enim paterna solicitudine ac vigilantia fuisset, pro Lutherana h.e. Apostolica Theologia novum & omnino discrepans ab Orthodoxæ Ecclesiæ consensu, doctrinæ genus, hanc Academ. innumerasq; Ecclesias occupasset. Nam furium præcipua doctrinæ Christianæ capita, maximè autem Caput de Baptismate & Cœna Domini, de q; ipsa Christi τοῦ θεανθρώπου persona, fœdissimè depravari cœperunt.

Quod ubi animadvertit Princeps religiosiss. omni contentione pestem hanc ut averruncaret, operam dedit. Expulsis igitur corruptelarum magistris, qui jampridem sub titulo defensorum Philippi, ceu sub Orci galea, tecti latuerant, & odioso Flacianorũ nomine illos, qui fabricas ipsorum arguebant, Electori invisos, multisq; bonis suspectos, fecerant. His ergo remotis sinceris q; in loca illorum doctoribus suffectis, verbi cœlestis integritatem, & verum utriusq; Sacramenti intellectum & usum, huic Scholæ Ecclesijsq; Saxonicis restituit. At cum varia adhuc dissidia totius Germaniæ, Ecclesias per Lutherum reformatas, perturbarent, pacemq; convellerent, ut solidis innixam fundamentis pacem re-

pararet

pararet, & unanimi Ecclesias consensione vicissim adunaret: non auctor tantum & suasor, verum etiam promotor & confirmator exstitit Formulæ ejus, quæ ad scripturæ cœlestis normam; tria Ecclesiæ Catholicæ Symbola; Confessionem Augustanam; Smalchaldicos Articulos; & Catecheses Lutheri; dogmata controversa examinantur, & quicquid ab hac cœlesti harmonia discrepat, repudiatur. Sic uno velut ictu Hydræ illius Lernææ capita; idemtidem, & quidem duplo majore numero renascentia, Hercules noster præcidit, stabilisq; ita concordia Ecclesijs restituta est.

En quintum Academiæ nostræ bonum, quod Apostolicæ doctrinæ, per Lutherum restitutæ puritas, auspicio, ductu & promotione Augusti septemviri in pristinum vindicata est.

Patri Augusto nontantum in terrarum & imperij: sed etiam virtutũ hæreditatem amplissimam successit laudatissimæ memoriæ CHRISTIANVS *Elector. Is cum à prima ætate, tam ad sinceram religionem, quam ad egregios Celsissimoq; Principe dignos vitæ politicæ mores adsuefactus esset, quam primum gubernationis Electoriæ sceptrum accepit, in hoc incumbere cœpit unicè, ut cum cæteris omnibus, Ecclesiæ suarum regionum, & præcipuè Scholæ, quam optimè constituerentur, & administrarentur quam rectissimè. Ideo statim etiam hanc Academiam, non minus quam alteram, singulari favore ac cura prosequi cepit, eaq; omnia, quæ ad decorandam & provehendam illam pertinere viderentur, tam accuratè providit ac liberaliter exhibuit, ut quod adipsum quidem attinet, nihil quicquam hîc desiderari queat. Mirificam erga Acad. hanc ejus propensionem, & munificentiam regia liberalitate dignam, ut luculentum utriusq; monumentum, testatur Collegium Augusti, à Divo quidem patre impensis exstructum maximis, ab ipso verò Academiæ donatum, perpetuisq; Musarum usibus consecratum.*

Quod autem Poëtarum ille, Romanorum Coryphæus, de junio- Marcello, *Augusti ex sorore Octavia nepote, canit. Ostendent terris hunc tantũ fata, nec ultra esse sinent: hoc ad Illustriss. heroëm nostrum verissimè accommodari potest. Ingenium sane illi divinum; Spiritus planè Heroici; Vires animi & corporis firmissimæ; Eximia in consilijs prudentia; & mirifica in negotijs dexteritas; Rerum insuper gerendarum nervi: Quæ omnia singulare aliquod emolumentum, quo supra aliorum merita se heros iste multò sublimius extulisset, Reipubl. Christianæ spondebant. At fatum nimis præmaturum, in primo quasi telæ exorsu, spes & Res adeo præclaras subitò abrupit.*

Quod autem de Asa, rege Iudæorum sanctissimo, literæ sacræ produnt, Tametsi cor ejus perfectum erat (ut scriptura loquitur) cunctis vitæ diebus; Excelsa tamen quædam derelicta esse: Cum tamen sincerum Dei cultum in gente sua, ubiq; instaurasset: Id hic etiam accidit. Etsi quantum humana diligentia effici potuit, eam doctrinæ puritatem, & religioni pacem, Dei auxilio, per idonea huic operi organa, Augustus Elector jampridem recuperârat, procul facessere jussis, qui divinæ huic normæ se attemperare nolebant: remansêre tamen qui post cæterorum fugam partim verâ partim simulatã, Sinonijs artibus equũ illũ Speciosum in urbem, ac tantum non in arcem, recipiendum suaderent. Vnde certè Ilias malorũ subsecuta fuisset, nisi beneficio Dei singulari fraudibus insidijsq; his detectis & elisis, veritas palmam obtinens glorioſum de clandestinis hostibus triumphum egisset.

Illustrissimus enim Saxoniæ dux FRIDERICVS VVILHELMVS, IOHANNIS FRIDERICI ex IOHANN. VVILHELMO *Nepos, Septemviratus hujus Administrator & Tutor fidelissimus, cujus memoria in benedictione æterna, pro avitæ pietatis Zelo, severissimam in Dominici gregis lupos animadversionem instituit, & per accuratissimam utriusq; Academiæ &*

Ecclesiarum visitationem, enormia doctrinæ rituumq; vitia & scandala correxit, & procul furibus ac latronibus ex ovili Christi fugatis, doctrinæ candorem pristinum, & Sacris mysterijs approbatos jam olim receptosq; ritus, postliminio reduxit aureamq; Ecclesijs pacem & concordiam stabilivit. Pro quo certamine tam laudabiliter & heroicè peracto, nunc gloriæ coronam non marcescentem à summo Pietatis Brabeuta impositam, gestat, perpetuamq; & immortalem benefactorum memoriam in Ecclesia Sanctorum relinquit.

Hoc igitur Sextum est Dei beneficium, quod per Illustriss. Saxoniæ Principes Septemviros, in hanc Academiam, totamq; simul Rempub. Electoralem redundavit. Iam Septimus nobis thesaurus adest, Dn. CHRISTIANVS II. Elector, cum fratribus cariss. Dn. IOHAN. GEORGIO, & Dn. AVGVSTO: quorum sub tutela & præsidio Academia nostra cum terris circumjacentibus, Halcyonia agit tranquillissimo, & prosperitatem eximiam deinceps à Deo certa fiducia sibi pollicetur.

Singulari autem divinæ bonitatis dispensatione factum est, ut quo tempore Sereniss. Elector CHRISTIANVS II gubernacula hujus imperij capesseret, eodem Academiæ hujus sceptra Fratri AVGVSTO traderentur: Cujus magistratum felicissimum esse hactenus, experimur. Quam autem affectionem erga Reipubl. totius commoda, & Academiæ nostræ studia gerat optimus Elector, cum aliæ inter imperij sui primordia actiones, tum acris per visitationem generalem censuræ, in Ecclesias & Scholas harum regionum per hanc annum institutæ, demonstrant, Christi enim præceptum (quo Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt, dare jubet) religiosa observantia & vera pietate secutus non ad obedientiam solum erga se, ut ordinarium magistratum, solemni juramento subditos adstrinxit: sed etiam Scholarum & Ecclesiarum doctores, omnesq; ministerijs Celsitudinis sua addi-

ctos, ad publicam fidei & religionis orthodoxæ confessionem jure-jurando confirmandam, adegit. Vnde illum puritatis Evangelicæ acerrimum τὸν θεῖον forepropugnatorem, contra omnes hæreseis & subirrepentes corruptelas, non dubia unusquisq; nostrûm fiducia sibi persuadet.

Huc accedit, quod Iubilæum Academiæ Viteberg festum, quod in centesimum eius natalem incidit, maiore cum solennitate celebrari iussit. Et Autumnalem Candidatorum Philosophiæ promotionem, in hanc usq; diem prorogatam, quam frequentissimam & ornatiss. esse voluit: Quæ ut tantò magnificentius perageretur, ex munificentiæ suæ thesauro liberali eam convivio donat, instruit, cohonestat. A summo igitur hoc patrono id proficiscitur, quod promovendorum hodie numerus ad LXIV excrevit: quem nulla per totum istud seculum promotio, una duntaxat exceptâ, hactenus excessit. Huius regiæ munificentiæ iam ad summum Philosophiæ gradum evehendi iuvenes atq; viri debẽt, quod nihil ad Convivij Magistralis celebrationem impendere illos necessum sit: Cum alioqui, sic auctis rerum penè omniũ precijs, sumptus non exiguos in tantam solennitatem facere bonos ipsorũ postulasset. Annon hæc, Auditores, singularem erga Academiam, & præcipuè facultatem philosophicam, huiusq; studia & exercitationes, propensionem & benignitatem declarant? An non dignũ hoc est, quod perpetuus grati animi studijs veneremur & prædicemus? Dij tibi, Dij referant! O Clementiss. Princeps: Non opis est nostræ, tantas exsolvere grates: Dij tibi, Dij referant.

Postquam ergo beneficia Dei in Academiam hanc, per Illustriss. ordine nutritios VII. *Saxoniæ Electores, collocata, generatim recensui: Superest, ut ad alterum me genus convertam, & quid per eximios Dei viros,* LVTHERVM *&* MELANCHTHONEM, *sit præstitum, quam brevissimè commemorem. Hi*

enim

enim duum viri à Deo præcunctis alijs excitati sunt, ut id efficerent, quod nulli Germanorum in hoc equidem genere, antehac præstiterũt, nec unquã deinceps quantula quantula posteritas fuerit, præstabunt: dum Lutherus verbi divini sinceritatem diu sepultam, velut à mortuis excitavit, & Theologiam, fœdissimè cõtaminatam, repurgavit: Melanchthon Linguarum & Artiũ, imo totius Philosophiæ studia ita excoluit, perpolivit, & propagavit, ut Viteberga, unde hæc in orbem Christianum longe diffusa & proseminata sunt, AEgyptum, Athenas, Romamq; æquiparare hoc felicitatis genere, aut etiam superare, queat.

Iam olim quidem cum Germaniæ populi ad fidem Christi converterentur, verbi divini lux accensa fuerat. Et mediocrem Theologiæ puritatem Ecclesia Germaniæ aliquamdiu retinebant: donec superstitione & idololatria, subinde magis atq; magis ingravescente, Legis & Evangelij doctrina paulatim obscurata fuit, eoq; tandem perventum, ut nulla Theologiæ pars aliquid integri sani q; haberet. Pro Biblijs Aristoteles, pro antiquis Bibliorum interpretibus Scholastici Doctores, Ecclesiæ obtrudebantur.

Exstincta erat vera Christi cognitio, sincerusq; Dei cultus evanuerat: & innumera animarum myriades in ipsa Christianorum congregatione, populoq; Dei, seu Ecclesia, cum æternæ salutis jactura, pessum ibant. Hic certè reformatore necessariò opus erat. Immensa ergo Dei misericordia, remedium huic pesti tandem adplicantis, excitatus est LVTHERVS, *qui cœlesti Spiritu illuminatus errores detexit, falsitates redarguit, mendas eluit, cunctasq; Theologiæ parteis in antiquam, h. e. Prophetici & Apostolici sensus germanitatem vindicavit: exorsus à salutaris pœnitentiæ doctrina; & ulterius ad veram peccatoris iustificationem coram Deo; ad bona, h. e. digna iustificatis opera, ad genuinũ Sacramentorũ intellectũ legitimumq; usum; ad accuratissimum Legis & Evangelij discrimen, ad piam de magistratu & coniugio,*

cæterisq; doctrinæ locis assertionem, progressus. Brevi q; Deo gratiam ejus operæ fidelissimæ adspirante, id effecit, ut ab ætate Christi & Apostolorum major verbi divini claritas in Ecclesia non effulserit.

Hic igitur est tertius Mundi Elias: qui Baalitas Romanos prostravit, ipsumq; Baalem Pontificem, triplici diademate exutũ, è solio deturbavit, sanamq; colendi Dei rationem, ac directam salutis consequendæ per agnum Dei tollentem peccata Mundi, viam monstravit. Hic est Angelus ille Apocalypticus: qui per mediũ cœli volans æternum habet Evangelion; quo lætissimum de gratuita peccatoris justificatione, æternaq; salute, credentib' in Christum obtinenda, incolis terræ, per omnes gentes, tribus, Linguas & populos (inter quos præcipui nos Germani) nuncium pertulit. Hoc est insigne illud Dei meritum: quod ex te, Academia Viteberg. tantus heros exortus est, quantum Ecclesia Christi, post Ioannem Baptistam, & Apostolum Tarsensem, inter doctores suos, neq; vidit hactenus, neq; posthac videbit.

Proximum huic (ut perpetuo aliàs coniunctum est), quod literas & Artes Philosophicas in hac Academia efflorescere Deus voluit. Vbicunq; enim doctrina cœlestis purè sonat, ibi Linguarũ & Artium studia, fatali quodam temperamento, florere etiam necesse est. Iam olim sanè disciplinæ liberales, unà cum religione Christi, in Germaniam introductæ erant, & pulcrè ad tempus viguerant. Ac propterea Scholæ passim in collegijs primum sacerdotum, deinde in Monachorum Cœnobijs Caroli M. eiusq; successorum, & aliorum Principum liberalitate ac prudentia, institutæ fuerant, ut tituli Decanorum, Scholasticorum, Lectorum, & id genus alij adhuc reliqui, testantur. Sed has partim luxus, partim superstitio, abrogârat. Necessaria igitur etiam hac in parte fuit Reformatio.

Hanc Deus per Philippum, ut Organon adhoc unicè destinatũ, effecit. Hic enim totũ Philosophiæ corpus, spinosis antea disputationibus intricatũ, divina ingenij solertia explicandũ, & cum studiosa juventute communicandũ, sibi proposuit. Initium igitur fecit à Linguis & Artibus dicendi. Cumq; sine mediocri Linguarũ cognitione nihil in Philosophiæ studijs profici queat; sed omnis opera hic ludatur: in hoc potissimũ elaboravit, ut cum ling... Romana Græcas literas propriè ac perspicuè doceret. Ad quod fideli Auctorum Sapientiss. interpretatione, ac perpetua scribendi disputandi declamandiq; exercitatione, tanquam necessarijs adminiculis, usus est. Deinde ex universa Aristotelis Philosophia illa decerpsit, quæ usum in vita communi haberent. Qua in re Methodica docendi ratio plurimum ei adjumenti præstitit. Sic post Artium dicendi Epitomas Physices atq; Ethices utilissima præcepta in juventutis commodũ selegit, hoc equidem cõsilio, ut rudimẽtis hisce ac veluti tirocinijs præparati discipuli, ipsas Aristotelis & cæterorũ Magistrorũ Scholas, uberiore cum fructo adirent.

Peculiarem etiam & primariam in hoc operam dedit, ut Astronomiæ & Mathematum studia excolerentur. Quæ huius viri potissimũ industria eximios fecere progressus, & in omnes orbis partes sese prolatârunt. His tantis negocijs licet occupatiss. esset, interim tamen præclaram Theologiæ operam navavit. Strenuum namq; Luthero συνεργὸν sese præbuit.

Qui per hunc, ut Moses per Aaronem, plurima & maxima tum domi tum foris negocia, in conventibus imperij & colloquijs expedivit. Duo verò inter opera ejus Theologica maximè excellunt, Augustanæ confessionis formula, præeunte Luthero ab illo scripta, & Loci communes Theologici; Quos ipse Lutherus paulo ante obitũ tantopere Ecclesiæ commendavit.

His jam commemoratis Dei beneficijs, tanquam Corollariũ, perorationis loco adjiciemus, etiam Coloniarum, ex Academia

Viteberg. in has & alias terras, deductionem: Quod enim Homerus de Oceano scribit. Hinc omnes currunt fluvij, Pelagusq; redũdat Quodlibet. hinc fontes & stagna ingentia manant: Id de Viteberga non absurdè prædicari potest, Quæ enim Ecclesia per totam Europam reformata e quæ redaccensam veritatis divinæ lucem Academiæ nostræ se debere non fateatur? Quicquid ubiq; est Evangelicæ puritatis, ex hoc quasi fonte limpidissimo scaturit. Convertite mecum oculos in omnes Mundi plagas, & vera me affirmare contestabimini, Omnes, inquam, Ecclesiæ reformatæ hanc suam Metropolin agnoscunt & venerantur.

Quid de Scholis dicamus? Sapiens olim vetustas de Schola Græciæ in Parnasso à Perseo condita; unde studia bonarum Artium per totam Græciam fuerunt propagata; hunc sermonem divulgavit: Quod Persei Equus Musis in Helicone fontem ungulæ suæ fodicatione aperuerit, qui Sapientiæ & Eloquentiæ rivos per terras longè lateq; diffuderit: unde poëtæ, (Sic doctos olim vocabant) inebriati, præclara ingenij opera ediderint. An non hæc imago est Academiæ, Scholarum parentis? Pietas equidem & Sapientiæ FRIDERICI *Electoris, in hoc candido Musarum monte, salutarem doctrinæ cœlestis Artiumq; scaturiginem elicuit: quæ Scholas, veluti rivos per cunctas Germaniæ regiones de se largissimos, profudit; Adeò ut Germania, patria nostra dulcissima, tantum non voce suâ liquidissimè hæc jam proclamet. Quod ubiq; nunc Ecclesiæ incorruptum Dei verbum mihi resonant, id tuum Viteberga, filia mea carissima, beneficium est. Quod ab initio religionis instauratæ huc usq; fidelissimis Mysteriorum cœlestium dispensatoribus abundo, Tibi, mea Vitemberga, post Deum, unice adscribo. Et cui Scholas ubiq; probè constitutas debeo? Tibi, Academia Viteberg. Vnde mihi tot viri, in omni doctrinarum genere clarissimi, prodierunt? Ex te, Academia Viteberg. Idcirco quousq; reformatæ religionis jubar serenissimum perpetuo se*

dilatat, & quocunq; erudita doctrina fructus exuberat, eo se tua simul gloria extendit. O beata filia, quæ matrem Germaniã tanta commodorum fertilitate beas! Celebrent Græci veteres suam Hippocrenen: jactent suos ΑEgyptij sacerdotes; venditent se Persæ Magis, Assyrij Chaldæis, Indi Gymnosophistis; Galli Druidibus suis glorientur: Tui, VViteberga, doctores illis omnibus antecellunt. Sis igitur salva, mea Vitemberga: salvi sint Principes tui θεόπνευστοι & θεήλατοι: (divinitus afflati & excitati:) qui te tam fideliter amant, tam benignè fovent, tam constanter protegunt, ac velut in sinu gestant, oculiq; cariorem habent. Ex tuo enim flore sperata messis: Ex tua celebritate certa & insignis gloria: ex tua salute incolumitas perpetua (quatenus per Christi & Musarum hostes, Pontificios, aliosq; sectarios licet) mihi patria redundat.

Germaniæ acclamationem habemus. Quis ergo de tanta matris felicitate, sibi ut filius & hæres, non ex animo gratuletur & exsultet? nisi qui ingratum ac degenerem se ejus filium, aut verius cuculum, ipso facto declarare velit.

Hæc ergo sunt divinæ benignitatis munera, per Serenissimos Electores Saxoniæ, virosq; Dei incomparabiles, Lutherum & Melanchthonem, Academiæ VVitebergensi & hinc toti Reipub. Christianæ, erogata, non minoris profectò æstimanda, quam olim per Mosen & Aaronem præstita Israelitis.

Nostrum igitur est, ante omnia Deo Gratiarum vota piè exsolvere, Illustriß. Principum Saxoniæ beneficentiam perpetuo celebrare, & Academiam Vitebergensem, ut Pietatis & Artium Philosophicarum instauratricem, & propagatricem, debitis reverentiæ & εὐλογίας officijs prosequi, eiq; felicissimam perpetuò sortem imprecari.

DIXI.

Domini Magistrandi, priusquàm recipitis gradum Magisterij Philosophici, promittetis bona fide.

Primum vos velle domino Decano & Magistris Collegii Philosophici, præstare debitam reverentiam.

Deinde promittetis, vos velle utilitati hujus Academiæ Vitebergensis favere, & eam nequaquam impedire, sed potius ubi poteritis eam adjuvare, Promittetis etiam vos velle favere studijs Philosophiæ, & ea ubi poteritis adjuvare.

Expressè etiam & sanctè promittetis, vos velle Constanter amplecti consensum Ecclesiæ Catholicæ Dei, traditum in symbolo Apostolorum, Niceno & Athanasiano, ac comprehensum in confessione huius Ecclesiæ, exhibita Imperatori in conventu Augustano, anno millesimo quingentesimo trigesimo.

Dicatis singuli promittimus.

ON HOMINVM TANTVM, SED urbium, imperiorum, ſcholarum, victoriarum, dedicationum, nuptiarum & ſimilium natales ſolenniter varijsq; rationibus concelebratos fuiſſe, hiſtoriarum monumenta ſatis ſuperq; teſtatum faciunt. Natalitia illa, prout concepta fuerant, ita quoq; annua, vel quinquennalia, decennalia, vicennalia, vel tricennalia aut etiam ſecularia peragebantur votaq; in illis perſolvebantur. Exhibebat in ſuo natali Imperator Hadrianus ſpectacula, occiſis nonunquam leonibus centum, totidemq; confectis leænis, teſte Dione Nicæo. Conſtantinus Magnus urbis à ſe reſtitutæ natalem, maximo cum apparatu peregit, ita ut imperij annum quintum attingens, quinquennalia, tandem & decennalia, vicennalia, tricennalia, teſte Sigonio celebraret. Idem de Theodoſio Magno, de Diocletiano, Maximiano, Galieno, Valentiniano & Honorio, imperij quosdam Iubilæas inſtituentibus comprobare poteram. Quoquo quinquennio Herodem conſecraſſe certamen quoddã in urbis Cæſariæ dedicatæ memoriã inſtaurandã, author eſt Ioſephus. Nec infrequens mos eſt in quibusdam Germaniæ locis, ut, ſi inter duos intuum coniugium usq; ad quinquageſimum annum, ſalvum ac incolume perſiterit, ſolennes quasdam nuptias ſecundas, ceu novas vel Iubilæas, inſtituant, dies aliquot cum amicis hilares inſumentes.

Cum Romã milleſimũ natalem attigiſſet, Philippus Imperator magnificentiſſimos ludos exhibuit, de quibus Cuſpinianus & Iulius Capitolinus prolixe agunt, produxit in honorem urbis ſecularem Elephantos triginta duos, Tigrides viginti, Leones manſuetos ſexaginta, Hyænas centum; produxit mille paria gladiatorum, & ludos ſcenicos in Pompeij Theatro, quos tribus diebus no-

ctibus q; totidem populus sine tædio spectavit. Hæc igitur Philippus Imperator, licet Christianus esset, edidit secularia, spectacula, possent q; exempla cum multa tum illustria ex probatissimis quibusq; autoribus recenseri alia, de arcium, urbium exstructarum, defensarum, occupatarum festis & Iubilæis.

Cum vir beatus, Dominus D. Martinus Lutherus cum Domino Philippo alijsq; doctis Collegis suis sacrorum bibliorum conversionem in linguam nostram Germanicam ad finem optatum perduxisset, Venerandus vir, Dominus Doctor Bugenhagius Pomeranus, singulis annis, eo die, quo absolutum opus fuerat, amicos solenni convivio excipere, & quasi natalem translationis bibliorum celebrare solitus fuit, Inde factum, ut eum diem festum translationis Bibliorum appellitarent; cujus in viginti duabus causis mentionem facit, Vtenbergius Pontificius.

Quæ cum ita sint, maximam profectò laudem meretur providentia & munificentia Illustrissimi Electoris & septemviri, Christiani Secundi, Ducis Saxoniæ, Landgravij Thuringiæ, Marchionis Misniæ, &c. Domini nostri clementissimi, quod, cum facta, Celsitudinem ipsius inclytam natali centesimo Academiæ hujus destinaverint, nihil prius, nihil antiquius sibi faciendum esse judicavit, quam ut Clementissimæ voluntatis suæ, tum erga facultates reliquas, tum etiam erga Philosophiæ culturam necessariam, insigniora indicia clementer exstarent.

Hieronymus ad Eustachium de seipso scribens, testatur, quod in media fermè quadragesima acuta febri correptus, graviter decubuerit, ita vt mortis periculo territus, se in Spiritu ad judicis Dei tribunal protractum, & quis nam esset, se interroga-

tum fuisse, atteſtatur; Reſpondenti autem ſe Chriſtianum esse is qui præſidebat mentiris, ait, Ciceronianus non Chriſtianus es, ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum. Hè reus illico obmutuit. Sed à judice cedi juſſus exclamavit, Miſerere mei Domine. Tum ad præſidis genua provoluti qui aderant, ut adoleſcentiæ hac vice ignoſceret Deus, deprecabantur, exacturus pœnam, graviorem, ſi gentilium libros legere pergeret: Reus hac conditione dimiſſus à Philoſophicis penitus abſtinuiſſe putatur. Certè longè aliud de artibus liberalioribus judicium Illuſtriſſimus Elector, Dux Saxoniæ, Dominus noſter Clementiſſimus, ferre deprehenditur, probè edoctus, quod Philoſophorum traditiones & inventa æternam quidem ſalutem demonſtrare nequeant, conferant tamen, ut AEgyptiorum ſpolia, ad tabernaculi extructionem, etiam hæ diſciplinæ Philoſophicæ ad genuinam ſacrarum literarum explicationem & penitiorem intellectum, adjumentum maximum.

In natalibus annuis, vicennalibus, tricennalibus, ſecularibus, quantos quæſo & quam inanes fecerunt Romani Imperatores ſumptus & impenſas, conquirendo ſcilicet & producendo Elephantes, leones trigides: exhibendo variorum ludorum inania ſpectacula. Illuſtriſſimus Elector noſter, centeſimi natalis hujus Academiæ ſolennitatem, hoc ipſo non inani, ſed Eccleſiæ & politijs profuturo ſpectaculo literario, renunciatione videlicet Candidatorum Philoſophicorum auguſtiorem reddere voluit. Hujus beneficij memoriam perpetuam tum reliqui, tum Candidati noſtri conſervabunt, illudque dum Spiritus ipſorum hos regit artus, ubique locorum prædicabunt, Deũ optimum maximũ rogantes, ut in hac & in altera vita inclytæ domo Saxoniæ largiſſimè cõpenſetur. Siſtuntur ergò tibi,

Procancellarie dignißime, & Dec Spectatißime, vir Clarißime, Candidati quatuor & ſexaginta, quorũ mores & eruditionẽ, ſuperioribus ſeptimanis, addo etiam menſibus, Collegium noſtrũ pro more & ſecundum leges cum privatim tum publicè diligenter exploravit, tandemq́ ex communi decreto laureâ Philoſophica eos dignos judicavit. Iam, quod reliquum eſt ſpectabilem tuam dignitatem, officiosè & diligenter oro, ut honoribus iſtorum Candidatorum faveas, & tum eos qui primum gradum in Philoſophia nondum ſunt adepti, Baccalaureos, tum omnes ex æquo Philoſophiæ Magiſtros crees & renuncies, ipſisq́ priuilegia huic ordini competentia quam largißimè tribuas. Hoc officium tuum, ſine dubio cedet in gloriam nominis divini, in Eccleſiæ Chriſti, & rerum publicarum emolumentum; ipſos vero candidatos tibi ad perpetuam gratitudinem & obſervantiam devincies.

Forma creandi Magistros liberalium artium usitata in Academia Vitebergensi, prescripta à Philippo Melanchthone.

Ad præmissam intercessionem pro candidatis, respondeatur.

CLarissime vir, Collega observande, cum satis constet, verissima esse, quæ abs te eruditè & graviter dicta sunt: non libet plura in eam sententiam verba facere.

Petitioni autem tuæ, eò etiam assentior libentius, quia justum est, viros honestos, & idoneos ad docendum, publicis testimoniis ornari, ut studia literarum conserventur, Ecclesiæ & Reipubl. necessaria. Postquam igitur horum (64.) candidatorum eruditionem atque integritatem probavit Collegium nostrum, atque propterea decrevit, ut titulus & insignia Magisterij Philosophici his conferrentur, Ego quoque ipsorum honori ac dignitati faveo, eosq; promoveri cupio, quod ingenia ipsorum & studia, Ecclesiæ & Reipublicæ profutura esse spero.

GRADVS.

Quod igitur felix ac faustum sit, Ego autoritate publica, qua in præsentia fungor, hos (64) Candidatos, viros Reverendos, doctos & honestos in hanc Cathedram collocatos, initio, gradu Baccalaureatus in philosophia primo, eos scilicet, qui illum nondum sunt adepti. Deinde verò ex æquo omnes, gradu Magisterij, qui est in Philosophia summus, orno, ac in LIBERALIVM ARTIVM ET PHILOSOPHIAE

MAGISTROS promoveo, & promotos renuncio, in nomine PATRIS ET FILII ET SPIRITVS Sancti.

PRIVILEGIA.

Attribuo autem vobis omnia ornamenta, & Privilegia huius ordinis propria, quæ ut rectius intelligantur, ac intra metas legitimæ vocationis vos coerceant: Sapiens vetustas huic publicæ renunciationi solennitates quasdam addidit quas voluit non ineptos ludos aut inania spectacula esse, sed utiles ac graves commonefactiones, de præcipuis officijs, quæ ordinis huius professio complectitur, & severissimè requirit. Quare in his quoque usitatum morem servabo.

CATHEDRA.

Ac primùm vos in hanc honestissimam Cathedram collocо, quæ est sedes docentium in Scholis. Hoc ritu primum vos sisto Ecclesiæ & Reipub. ut sciatis, vobis non quaslibet functiones privato arbitrio rapiendas, sed honestam vocationem legitimo more quærendam & expectandam esse. Simul etiam testificor, vos de sententia Præceptorum idoneos judicari, quibus munus docendi in Scholis commendari possit. Quare vobis etiam potestatem tribuo docendi Philosophiam, iuxta vocationem, & Leges cuiusq; loci. Postremò, de genere doctrinæ, de assiduitate, integritate, ac fide docentium & discentium, eorumq; officiis, hoc ritu vos commonefieri memineritis.

LIBRI.

Deinde & Libros propono, in quibus doctrinam bonarum artium, tanquam depositum, bona fide vobis custodiendum trado, atque commendo. Hos etiam vobis aperio, ut cogitetis, assiduo studio alendam & augendam esse eruditionem. Sæpè enim recitari audivistis Epicteti admonitionem assiduè cogitandam, cum inquit: Non facilè doctrina comprehenditur, nisi quotidiè eadem & dicat aliquis, & audiat, & in vitæ actionibus eam exerceat. Et Paulus præcipit assiduam lectionem, inquiens, Attende lectioni. Et sunt similes plurimæ admonitiones. Plato dicit, oportere opiniones velut aurum purgari meditatione multorum annorum.

PILEI.

Impono vobis & Pileos, qui fuerunt quondam insigne docentium in Ecclesia, ut antiqui Canones testantur. Horum autem rotunditas, Vos de studio Concordiæ, & totius vitæ integritate: violaceus verò seu hyacinthius color, de modestia, temperantia, mansuetudine & verecundia vos admoneat. Voluit enim sapiens antiquitas eos, qui eruditione & virtute antecellunt, & docent alios, etiam integritate morum, & honestate vitæ ornatos esse. Fortassis etiam hi, qui pileis ornarunt hunc ordinem significare voluerunt, hæc studia Philosophica etiam ad Ecclesiam pertinere, sicut verissimum est. Et sobria Philosophia magnum decus est Ecclesiæ. Cæterum, nos omnes habemus alias gravissimas commonefactiones, quæ iubent nos referre studia ad salutem Ecclesiæ, sicut scriptum est: Omnia ad gloriam Dei facite.

ANNVLI.

Tribuebatur olim & jus aureorum annulorum, qua ceremonia jus ingenuitatis & libertatis conferebatur. Posteà hic mos ad Scholam translatus est, ut gradibus ornatis dignitas tributa esse significaretur, & ut testimonium haberent libertatis. Admoneat autem vos hic ritus de vera libertate, quæ non est barbaria & infinita licentia, & petulantia effrenis, dicendi aut agendi quidlibet, ut Cyclopum multitudo judicat: sed est facultas, rectè faciendi juxta Leges, & constantia modestè & graviter, dicendi veras sententias, de divinis & alijs rebus necessarijs. Vetustas hos annulos, aureos esse voluit, ut hoc preciosissimo & purissimo metallo nos de dignitate & puritate doctrinarum admoneret. Et quia annulus etiam pro Arra mutua usurpari solet, quæ datur ad confirmandum contractum nuptiarum inter sponsum & sponsam: cogitabitis simul, vobis nunc quasi desponsari Philosophiam, & vos hac ceremonia publica obligari, ut suscipiatis propugnationem & curam bonarum artium, quarum conservatio & propagatio Ecclesiæ est utilis. Huius honestissimi fœderis etiam vos Annulus commonefaciat. Et quia in Repubi. inter gradus dignitatis, Imperatores, Literarum Professoribus honestum locum attribuunt, hunc virtute tueri decet.

CONCLVSIO.

Postremò, cum sciatis, vitam, & sapientiam, & omnem vocationem hominum non esse felicem, nisi DEO nos gubernante & juvante: cumq; Deus clementissimè præceperit, ut ipsum invocemus, & auxilium invocantibus promittat, sicut

scriptum est: Petite & accipietis: Oro Deum æternum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, conditorem cæli & terræ, & generis humani, unà cum Filio suo coæterno, Domino nostro IESV CHRISTO, & spiritu sancto, fontem omnis sapientiæ, iustitiæ, & pacis, ut semper sibi colligat inter nos æternam Ecclesiam, eamq; unà cum hoc honestissimo cœtu Scholastico docentium & discentium, adversus horribilia mendacia & homicidia Diaboli, & organorum eius, clementer servet, protegat & gubernet, ac nos omnes faciat vasa misericordiæ, & organa salutaria, propter gloriam nominis sui, & Ecclesiæ salutem.

AMEN.

DIXI

QVÆSTIO
DE ANNO IVBILÆO
Propoſita
A
M. CASPARO SVEVO
Leorino Sil.

CVm non ſolùm Academiæ conſuetudo ex honeſtiſſimis cauſis nata, atqùe optimis rationibus profecta, ſed etiam præceptorum autoritas, quam me omni reverentiæ cultu venerari debere agnoſco, in hoc auguſtiſſimo Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI II. Ducis & Electoris Saxoniæ & Legatorum, ac Domini, Domini AVGVSTI, Ducis Saxoniæ &c. Rectoris Magnificentiſſimi, nec non Generoſiſſimorum Baronum & aliorum clariſſimorum Doctiſſimorum & præſtantiſſimorum Virorum & juvenum conſeſſu, dicendi quarendiq; neceſſitatem mihi imponant. Spero vos candidè de mea voluntate iudicaturos eſſe, quod hoc in me onus ſuſceperim, qui certe conditionis & ingenij mei tenuitatem, & infirmitatem agnoſco. Confido etiã vos proſingulari veſtra humanitate & pietate, ea me benignitate me audituros, qua alios ante me ſæpenumero patienter audire dignati eſtis. Verum ne veſtræ in me benevolentiæ diffidere videar, pluribus verborum ambagibus omiſſis, rectà ad ea, quæ mihi ad dicendum propoſui, accedam.

Admonet nos præſens tempus de inſigni & incomparabili DEI beneficio, quod Deus accenſa puritate doctrinæ

& expresso verbo sibi in genere humano Eccleſiam cum ipſo in omnem æternitatem victuram in his terris colligit, eamq; potenti manu adverſus Diabolorum et impiorum inſultus conſervat, regit & protegit. Ac ſimul in vera Eccleſia omnibus temporibus, reliquarum etiam artium lucem accendit, quæ ad doctrinæ cœleſtis propagationem plurimum conferunt, & fragili hominum vitæ præſidia neceſſaria ſuppeditant. Inter quas cum Aſtronomia quoque non poſtremum occupat locum, quæ ſemper ſingulare fuit ornamentum Eccleſiæ, in qua certa & perpetua annorum mundi ſeries ſine motuum cœli & ſtellarum cognitione conſervari non potuit, decet nos quoque eam ad pietatis ſtudium & veri Dei agnitionem adiungere, præſertim cum per ſe dulciſſima ſit pulcherrimorum cœli corporum aſpectio, et effectionum, quas habent in orbe elementari, conſideratio. Vt interim taceam alias utilitates, quas vitæ communi præbet maximas, quas contemnere furor eſt & homine liberali non ſolùm indignus, ſed etiam contumelioſus in Deum, qui gratam de ſe famam in his artibus ſparſit, ut graviſſimè Plato inquit.

Nemini autem veſtrum incognitum eſt, uſitatum eſſe in hac feſtivitate Scholaſtica proponere aliquam quæſtionem, complectentem doctrinam, vel commonefactionem vitæ communi utilem, id quod mihi nunc iuſſu & autoritate præceptorum faciendum incumbit. Et quoniam nunc Vitebergæ omnia Iubilæam feſtivitatem perſonant, imo ipſi huius templi parietes Iubilæis vocibus & acclamationibus incaluerunt, ego ne ſolus ἀπροσδιόνυσα conſectari videar, ijs de rebus quæram, quæ ab hoc loco & tempore non prorſus aliena ſunt.

Quæro itaq́ quibus de causis annus Iubilæus olim à Deo in politia Iudaica institutus sit, & quamobrem non tantum pontifices Romani, sed etiam Ecclesiæ reformatæ eundem hodie observent & celebrent. Dicebatur autem annus Iubilæus in veteri testamento quinquagesimus quisq́ annus, cui clangor & insuetus tubarum sonitus, quo sexto mense antè in festo expiationis publicè indicabatur, nomen dedit. Hic annus gratuitam omnino debitorum remissionem, & fundis ac hominibus paupertatis causa venditis libertatem & liberum ac gratuitum ad amissas possessiones reditum Iudæis denunciabat. Sanctificabitis inquit Deus per Mosen annum quinquagesimum, & proclamabitis libertatem in terra omnibus habitantibus in ea, Iubilæus hic erit nobis & revertimini quisq́ ad possessionem suam, & unusquisq́ ad familiam suam. Hactenus Moses. Ac dum ea, quæ par est diligentia, divini huius instituti causas perpendo, video divinum illud beneficium totum ad politiæ Iudaicæ conservationem directum fuisse, prodigis enim & avaris frenos injiciebat. Avaris quidem, ne omnia tenendi libidine correpti quævis emerent & quovis pacto ad se raperent, cum fundos emptos aliquando prioribus dominis restituendos esse scirent. Prodigis verò ne temerè sua profunderent, cum emptores non facilè reperirent.

Hoc igitur modo & mutuationes & venditiones, non parum restrictas fuisse, quilibet sanè etiam me tacente intelligit. Quanquam autem leges Mosaicæ præsertim forenses illæ adventu Messiæ abrogatæ sint, & propterea nos Christianos non obligant: tamen à pijs qui se membra Ecclesiæ Christi profitentur annus Iubilæus adhuc hodie celebratur. Nam pontifex Romanus Bonifacius VIII. anno Christi millesimo trecentesimo ex mera superstitione & nefaria avaritia, ad similitudinem Iubilæi Iudaici centesimum quemq́ annum certis ijs & quidem

splendidissimis ritibus & ceremonijs celebrandum instituit, non pietatis studio, sed idolatricæ superstitionis & nefariæ avaritiæ æstu percitus, ut venderet impias in eo indulgentias seu remissionem omnium peccatorum pro certo pretio.

Extant autem pontificum bullæ de indulgentijs in extravagante de pœnitentijs & remissionibus quinto Iuris Canonici libro insertæ. Ac summa totius commenti de satisfactionibus & anni Iubilæi indulgentijs quæ sunt pœnarum seu satisfactionum Canonicarum remissiones, in glossa capituli primi Antiquorum prolixè exponitur. Neque verò apud pontificios solum, verùm etiam in Ecclesiis à sordibus pontificiarum traditionum repurgatis alicubi anni Iubilæi solẽnitas celebratur, maximè verò in Academijs, non quidem, ut exemplo Pontificum Romanorum indulgentiæ ibi vendantur, sed ut Deo pro conservatione Ecclesiarum & Scholarum publicæ & solenniter gratiæ agantur. Et hoc fine etiam inclyta nostra Academia annum Iubilæum autoritate & jussu Illustrissimi & Celsissimi principis, ac Domini Domini CHRISTIANI II. Ducis Saxoniæ & Sacri Romani Imperij Archimarschalli & Electoris etc. Domini nostri clementissimi celebrandum induxit. Etsi autem mihi hac de re cogitanti aliqua in mente veniebant, quæ non incommodè adduci videbantur: tamen ipse meis cogitationibus fidere non audeam, malo de hac quæstione audire sententiã seniorum, quorum judicia secundũ Platonem sunt certiora. Quamobrem clarissimum & doctissimum virum Dominum Magistrum IOHANNEM HAGIVM, Mathematum professorem publicum ac collegij Philosophici seniorem Præceptorem nostrum omni observantiæ cultu prosequendum, oro ut nos de hoc problemate fusius erudire non dedignetur, cui animi gratitudinem sempiternam & meo & horum meorum competitorum nomine polliceor. Dixi.

RESPONSIO.

AD ea, de quibus quaris, Domine Magister, respondebo quàm breviter fieri potest.

Initio autem hic sciendum est, duplicem fuisse apud Iudæos annum, alterũ Historicum à Deo ipso institutum Exod. 17. qui magna sapientia ex lege motuum cœlestium, ita distributus fuit, ut populo in publicis cõgressibus norma esset, quod ad dies festos & profestos attinet. Annum hunc Iudæi exorti sunt à coniunctione luminum, quæ æquinoctio Verno proxima fuit, in memoriã admirandæ liberationis populi Israelitici è servitute AEgyptiaca. Ab hoc noviluniõ numerabãt festa ac mẽses & decimas quartus huius noviluni dies, erat destinatus mactationi agni paschalis, ut in lege Mosaica videre licet. Quod cũ ex Mose nõ adeo liquidè intelligi posset diserte expressũ est à Iosepho libro tertio Antiq. dicente: Pascha celebrari decimo quarto die mensis Nisan, quando Luna Soli Arietem percurrenti opponitur; & esse ipsis eum mensem anni principium. Vnde consequitur, mensem primum & paschalem esse, cujus noviluniũm proximè accesserit ad æquinoctium Vernum, seu ad introitum Solis in signum Arietis. Et Lyræ super 12. cap. Exodi verba hæc sunt: Sciendum quod hoc regulariter est verum, quod primus mensis Hebræorum semper incipit à principio lunationis propinquioris æquinoctio Vernali, sive principium dictæ Lunationis sit ante æquinoctium Vernum sive post, sive ibidem. Fuit autem hic annus Iudæorum exactissimè compositus, ex Solis lunæq; conversionibus periodicis, ea lege ut à restitutione Solis ad punctum æquinoctij Verni numerarint continuam annorum seriem, à Lunæ vero mensiruis in Zodiaco conversionibus annum in 12. mensium spacia distribuerint, quo etiam accuratis motuum observationibus in Tribu Levitarum studia Mathema-

thematum, in ipsa Ecclesia, sunt conservata & ad posteros propagata.

Alterum annum Iudæi nominarunt œconomicum vel politicum, quem incoarunt à primo die septimi mensis anni Historici, quo die festum tubarum Iudæi celebrarunt. Hic annus etsi non quidem usquam expressè mandatus: tamen à Iudæis observatus est in autumno collectis, conditisq; jam frugibus Leviticí 23. & Iosephus lib. 1. Antiq. duo anni initia, diverso tamen respectu popularibus suis in usu fuisse commemorat, & adhuc hodie Iudæorum reliquiæ annum suum ab Octobri incipiunt.

Voluit autem Deus huius anni initium diversum esse à priori, ut finito hoc anno postquam fruges essent collectæ, annuas decimas sacerdotibus & debitum templo solverent.

Ad politicum igitur annum refertur quoque annus Iubilæus Iudæorum, sicut & Sabbatarius. Nam Septimus quisque annus divina institutione Iudæis fuit Sabbatarius, nomen à requie adeptus, quod eo nec colere agros, aut vineas, nec exercere culturam terræ licebat, ne perpetuo cultu exhausta defecerent & steriles cerent, quemadmodum homines & jumenta, quiete septimi diei respirare & refocillari Deus voluit.

Siquidem alternis facilis labor, &
Quod caret alterna requie durabile non
est.

Annus verò Iubilæus Iudæis agebatur, septimo quoquo Sabbatario, nempe anno Solari seu vertente quinquagesimo à superiori Iubilæo inclusivè, cui nomen impositum ferunt à Iobel clangorem tubæ significante, qua anni Iubilæi initium indicari solebat, qui pluribus cum suis ceremoniis describitur Levit. 25.

Hoc anno, quem Hieronymus remissionis annum vocat, praeter illa, quae Sabbatario fiebant, singulis sui fundi, suaeq; possessiones alijs oppignoratae vel venditae sine pretio restituebantur, ut ita familiae tenuiores conservari & in suis nidulis manere possent, cum nec venditione perpetua alienare bona, nec usuris, quae omnino prohibitae erant exhauriri potuerint. Vbi enim immodicae usurae concessae fuerunt, ut apud Romanos, hoc secutum est malum, ut non modo multas familias, sed etiam totas gentes, ita usuris immodicis exhaustas fuisse, ut filios, & filias vendere coacti sunt.

Sed his praemissis ad institutum revertar, Petis à me causas exponi, cur Deus annum Iubilaeum instituerit. Ex multis causis aliquas saltem recitabo, quae nos de magnis rebus utiliter commonefacere possunt. Prima est, quod anni Iubilaei seu quinquagesimi observatio profuit ad temporũ numerationem quae Deus in Ecclesia vult notae esse, ut exordium mundi & Ecclesiae, series annorum mundi, & tempora divinarum patefactionum, adventus Filij Dei in carnem & ad judicium, ac tempora mutationum, rerumq; maximarum in Imperijs considerari & animo comprehendi possint.

Vt igitur Graeci per olympiades, Astronomi per ἐννεακαιδεκαετηρίδα, aut Meloniδ vel Calippi περίοδον septuaginta sex annos complectentem numerarunt. Ita Iudaei per Iubilaeos plures annos collegerunt, & tempora distinxerunt, exempli gratia, à condito mundo ad distributionem terrae Chanaan filijs Israel anni Iubilaei numerantur praecisè quinquaginta, id est, primus Iubilaei annus fuit primus annus ingressionis in terram Chanaan, & quintus annus Iosuae Ducis & mundi annus 7500. A quo usque ad praedicationem Iohannis Baptistae & Baptisma D. Iesu Christi viginti novem Iubilaei cum annis 49. effluxerunt, quo tempore Christus egit annum suae aetatis

30. *Lucæ 15. A principio mundi usque ad legem de Iubilæo latam numerantur anni Iubilæi 49 & præterea tres. Deniq; à condito mundo ad currentem annum 1602. anni Iubilæi præterierunt centum & undecim & insuper anni 13. Deinde ut legum politicarum finis est τὸ τῇ πόλει λυσιτελῶν Reipublicæ consulere, sic quoque Lex de Iubilæo anno profuit, ad totius politiæ Iudaicæ & singularum familiarum conservationem, quæ divinitus distinctæ erant, ut in qua politia, & ex qua familia promissus Messias nasciturus esset, sciri posset. Præterea lex de Iubilæo nervus fuit cum aliarum virtutum humanitatis & beneficentiæ, tum vero inprimis frugalitatis & parsimoniæ, quæ sumptus non necessarios vitat, & tamen ubi ratio iubet, ad honestos & necessarios usus expendit, quantum opus est. In politia igitur Iudaica, cum homines prodigi perpetuò vendere agros & domus suas lege prohiberentur, nec mutuum accipere sine usura & luxuriæ instrumenta comparare facile possent, luxum, convivia, immodicas ædificationes & alias rei familiaris pestes, quæ mutuationibus occasionem præbent, constringere coacti sunt.*

Nam ut Plutarchus inquit: Pecunia plerumq; mutuo sumitur, non ut panis & aliæ res ad vitæ sustentationem necessariæ emantur, sed alium domus magnificè extructæ debitorem facit, alium emptiones non necessariæ, alium vestes pretiosæ, alium familia ampla, quorum quotidie alere solet.

Σώματα πολλὰ τρέφειν καὶ σώματα πολλ' ἀνεγείρειν
Οἶμαι ὡς πενίην ἐστὶν ἐπιμοτάτη.

Hi deinde paupertatem ferre non valentes, onus multò gravius sibi imponunt, quando videlicet pecuniam mutuo sumunt, quæ ad paupertatem via proxima est. Prohibuit itaq; lex de Iubilæo nõ tantum usuras, sed etiam proprietatem fun-

dorum emptione ad aliam familiam transferre, ut ita mutuationes, venditiones luxuriæ & æs alienum prohiberetur.

Postremo annus Iubilæus significabat tempus prædicationis Evangelij de Iesu Christo, quod remissionẽ peccatorũ & liberationũ ab ira Dei & æterna legis maledictione, omnib voci Evangelij credentibus omni tẽpore annunciat, donat & impertit juxta dictum: Spiritus Domini super me, qui ad annunciandũ mansuetis misit me, ut cõtritis corde mederer, & captivis libertatem prædicarem annum placabilem Atq; ita Iubilæus hic seu annunciatio remissionis peccatorum, & liberationis à peccato et morte æterna semper in Ecclesia vera hodie celebratur, & ministerio vocis Evangelij singulis applicatur non tantum anno 100. aut 50. sed quicunq; tempore.

At Pontifices Romani quadam κακοζηλία hunc annum Iubilæum sunt imitati, unus primus autor fuit Bonifacius VIII. qui primus omnium annum Iubilæum instituit anno Christi 1300. & deinceps centesimo quoq; anno renovari jussit, & ijs, qui Romam indulgẽtiarum causa proficiscerentur & suas preces ad divi Petri & Pauli Apostolorum Basilicas effunderent, non modo plenam & largiorem, verum etiam plenissimam omnium suorum peccatorum veniam promisit.

Mortuo hoc pontifice Clemens sextus huic succedens an. Domini 1342. constituit, ut exemplo anni Iubilæi à Deo instituti quinquagesimo quoque anno, indulgentiæ peccatorum largissimè visitantibus lumina Apostolorum concederentur.

Postea Sixtus quartus anno domini 1473. annum Iubilæum revocavit ad annum vicesimum quintum, hoc prætextu quod inter mille homines vix unus esset, qui quinquagesimum ætatis annum attingeret. Tandem ut indulgentiarum, vel pecuniæ potius ipsis largior esset provẽtus, quæstores indulgentiarũ in singulas provincias missi sunt, qui numerantibus pecuniam

non secus ac si in anno Iubilæo ad Apostolorum Basilicas profecti essent, uberrimas omnium peccatorum indulgentias vendebant. Hæc pontificum Romanorum impudentia, primam occasionem D. Luthero præbuit taxandi errores pontificios de indulgentijs & satisfactionibus Canonicis, & illustrandi veram doctrinam de gratuita peccatorum remissione sola fide accipienda propter Christum. Nam anno 1517 in vigilia omnium sanctorum primam disputationem contra indulgentias, impudentissimis mendacijs ornatas & venditas à TEZELIO D. Lutherus publicè proposuit, qua edita paulatim lux doctrinæ cælestis est reddita.

Agamus itaq; Deo omnipotenti toto pectore gratias, quod hoc seculo doctrinam suam fece & cæno caliginis & idolatriæ pontificiæ conspurcatam, per electa sua organa D. D. MARTINVM LVTHERVM & P. MELANTHONEM repurgari voluit, & ut illam lucem doctrina cælestis puram & incorruptam conservet & ad posteros nostros propaget ardentibus votis eum precemur. Postremo reformatæ Ecclesiæ etiam celebrant annum Iubilæum, sed longe alio fine nimirum ut abusus anni Iubilæi à Pontificibus Romanis in Ecclesiam invectis taxentur & refutentur, & ut Deo omnium bonorum datori gratiæ pro omnibus beneficijs nobis hoc seculo exhibitis publice agantur.

Hæc beneficia cum hesterna luce copiosè à collegis meis honorandis sint enumerata, non volo ea hoc loco repetere. Hæc breviter ad problemata à te proposita respondere volui. Deum æternũ patrem Domini nostri Iesu Christi, oro ut harum regionum Ecclesias ac Politias & hanc nostram Academiam veritatis orthodoxæ propugnatricem Clementer servet, protegat & gubernet, nosq; omnes vasa suæ misericordiæ faciat. AMEN.

DIXI.

GRATIA-

GRATIARVM ACTIO.

ETsi gaudeo, has partes dicendi mihi attributas esse, in quibus summa est laus officij, videlicet, ut agam gratias Deo, & ijs qui studia nostra adiuverunt: tamen doleo, me oratione mea non posse satis declarare nostrum iudicium de his beneficiis, & pietatem ac gratitudinem erga nostrum Magistratum ac Præceptores. Ingens omninò Dei beneficium est, quod non solùm condidit genus humanum: sed se etiam patefecit, ac traditâ doctrinâ ministerium instituit, quo vult eam propagari. Non igitur maius beneficium homines hominibus impertire possunt, quàm doctrinæ communicationem, in qua fideles Doctores verè sunt συνεργοὶ θεοῦ, & ad Deum auditores non contumaces adducunt. Imò propemodum ut fœtus in alvo materna servatur, & per certos canales alitur lacte materno: Sic in alvo Ecclesiæ & alimur & provehimur voce divina, quæ per canales, hoc est, per Doctores ad nos transfunditur. Hac imagine eò libẽtius utor, quia verè, ut fœtus in alvo materna divinitus nascitur & custoditur: ita & Scholæ, Dei ope et nascũtur et cõservantur. Fuit q; hæc VVitebergẽsis, Schola, Dei beneficio, iam integrum seculum alvus discentibus utilis: & ut sit diutius, toto pectore Deum oro. Fateor enim, nobis fideliter traditam esse & cœlestem doctrinam & Philosophiam: quib. bonis nihil melius homines hominibus impertire possunt.

Ago igitur gratias toto pectore, Deo æterno, Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori generis humani, & Ecclesiæ suæ, unà cum Filio suo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, & cum Spiritu sancto: quod Ecclesiam sibi inter nos colligit, & studia doctrinæ non sinit in his regionibus extingui: & quòd studia humaniora per integrum hoc se-

culum

culum adiuvit, & Academiam hanc contra tot Diaboli insidias, hostiumq; machinas clementer tutatus est, & periclitantem aliquoties graviter verbi cœlestis veritatem, per divinitus ad hoc excitata organa asseruit atque conservavit: Illustrissimis etiam Principibus Saxoniæ & Septemviris gratiam opemq; suam largè adspiravit, ut tùm liberalium artium, tum Theologiæ disciplinam amarint, foverint, defenderint & propagarint. Eumq; oro, ut deinceps usque ad adventum Filij sui, hanc scholam conservet, & nos omnes regat ac protegat.

Deinde & gratias ago, cùm totius Academiæ nostræ, tùm etiam Candidatorum omnium nomine, Illustrissimo Principi ac Domino, Domino CHRISTIANO secundo, Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Archimareschallo & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggravio Magdeburgensi &c. Domino nostro Clementissimo, qui cum intelligat, præcipuam in gubernatione curam esse debere, ut rectè doceantur homines de Deo, & alijs rebus bonis, præclaro ac laudabili Maiorum Illustrissimorum exemplo, Scholam hanc clementer servat, & studia doctrinæ liberalis amat, atque provehit. Id quod evidentissimis nunc documentis probat, cunctisq; testatum reddit, dum seculare seu Iubilæum hoc Academiæ festum tanta solennitate celebrandum curat, & Philosophicæ Facultatis Actum hunc Promotorium tàm insigni munificentia adjuvat & exornat. Quam clementissimam voluntatem Excelsitatis ipsius, benignitatemq; singularem, tùm nos meritò prædicamus, tum commemorabunt deinceps alij, ad quos fructus studiorum & honorum omni tempore redituros est ex hac Academia.

Gratias etiam ago Illustrissimæ Electoriæ Celsitatis Legatis, Nobilissimis ac Strenuis viris, Domino Iohanni Friderico à Schönburgk in Falkenberg, Capitaneo VVitebergensi, &

GRATIARUM ACTIO.

Iudicij Provincialis præfecto : Christophoro ab Haugvvitz in Radis, Capitaneo Misnensi, & Præposito VVurcensi : & Henrico à Leipzig in VVesenik, Capitaneo Torgensi, & nunc illustrissimi AVGVSTI Saxoniæ Ducis Aulæ Magistro : qui Illustrissimi Saxoniæ Electoris personam repræsentant, & hanc festivitatem nostram Iubilæam Scholasticam, Illustrem magnificamq; facere non sunt dedignati.

Ago & gratias Illustrissimo Principi ac Domino, Domino AVGVSTO, Duci Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ &c. Academiæ nostræ Rectori Magnificentissimo, Domino nostro Clementissimo, pro Illustri & augusta eius Celsitatis præsentia, qua hunc Actum facere voluit illustriorem, honoratiorem & ornatiorem, atque ita testari, se & studia nostra Philosophica amare, & nostris honoribus clementissimè favere. Deum oramus, ut Illustrissimam & Magnificentissimam eius Celsitatem, unà cum Illustrissimis Fratribus, Domino CHRISTIANO secundo Electore eiusq; Conjuge HEDVVIGE, ex Regia Danorum stirpe, Domina nostra Clementissima : Domino item IOANNE GEORGIO, unà cum Domina Matre, & Sororibus Illustrissimis : adeoq; totam familiam Saxonicam Illustrissimam, salvam & florentem conservet annos multos, ejusq; gubernationi clementer adsit, ut & nobis, qui doctrinarum studia in hac Academia colimus, honesto ac literato hoc ocio diu frui liceat, & pax salutaris ac honesta, cum vero Dei cultu stabilis hisce terris sit & perpetua.

Gratias etiam ago celeberrimæ Academiæ Lipsensis delegatis : Domino Georgio VVeinreich SS. Th. Doctori & Professori, Pastori ac Superintendenti Ecclesiæ ad S. Thomam : Dn. VVolffgango Meiero I. V. D. Dn. Christophoro Brunoni Medicinæ Doctori & Professori : Dn. VVolffgango Corvino

Philoſoph. Mag. & Dialect. Profeſſ. Generoſis Dominis Baronibus: Viris Nobiliſſimis ac Præſtantiſſimis, Arnoldo Kannen, Bennoni Friderico Brand, & VVilhelmo Löſero, quiomnes feſtivitatem hanc Iubilæam Scholaſticam concelebratum, Actumque hunc Philoſophicum ornatum comparuerunt.

Denique etiam, meo & meorum συμφοιτητῶν nomine, gratias ago Magnifico Domino ProRectori, Spectabili Domino Decano, Promotori noſtro: Reverendis, Clariſſimis & Doctiſſimis Dominis Profeſſoribus, Doctoribus, Magiſtris ac Præceptoribus noſtris: Reverendis Dominis Præpoſitis: Ampliſſimis item ac Prudentiſſimis Oppidi huius Electoralis Conſulibus ac Senatoribus: atque adeò toti ornatiſſimæ Coronæ Studioſorum: & cæteris omnibus, qui huc honoris noſtri cauſa convenerunt. Singulis, ubicunque erit occaſio, gratitudinem noſtram declarabimus. Præcipuè verò Præceptoribus optimè meritis, eam perpetuam pollicemur.

DIXI.

DEI GRATIA

AUGUSTUS

DUX SAXONIÆ, LANDGRAVIUS THVRINGIAE, MARCHIO Miſniæ, &c. Rector Academiæ VVitebergenſis, Vniverſis ejuſdem Academiæ civibus clementiam & favorem.

QVid die ab hinc decimoquarto, qui D. Lucæ ab antiquo ſacer & Academiæ noſtræ natalis eſt, in hac Repub. literariâ geſtum ſit, nemo opinamur, ita hoſpes & peregrinus eſt, qui neſciat; immò qui non & pars aliqua feſtivitatis illius ſcholaſticæ & (ſi ita vocari placet) Iubileæ ſolennitatis fuerit. Etſi interea apparatum illum & pompam theatralem, quam veteres illi Romani ſub Conſulibus & Cæſaribus, noſtri hodie ſub Pontificibus, ingenti cum ſumptu & magnificentia oſtentârunt, minimè affectare vel potuimus vel etiam voluimus: Sed contenti Chriſtianâ ſimplicitate & devotione, cum Legatis à Sereniſs. Electore huc miſsis, aliisq; ex Academiis & Nobilitate vicinâ convocatis, ad tẽplum Arci continuum proceſsimus: Muſicâ & hymno *CHRISTIANO* animos præſentium, quorum incredibilis (pro hoc quidem loco) multitudo erat, ſuſcitavimus: deinde concionem ex ſacris, pro laude & gloria Dei, audivimus; Orationem item & Carmen Sæculare: in quorũ etiam uroq; beneficia *DEI* opt. Max. & Principum Saxoniæ, alit

orumq;

orumq; bonorum virorum in hanc Academiam per hos centum annos promerita luculenter deprædicabantur: aliaq; ad hanc festivitatem pertinentia, si non magnæ pompæ, Pietatis tamen & gratitudinis, adde & honestatis plena, ordine peragebantur. Cum verò Illustrissimo Electori, Fratri nostro dilectissimo ita visum ab initio fuerit, ut in eâ Festivitate omnium Facultatum aliquæ partes dicendi essent; brevitas autem temporis id tũc quidem pati non vellet: placuit nobis & Senatui Academico, ut, postquam Theologi & Philosophi suo munere defuncti sunt, deinceps etiam Iureconsultis & Medicis suæ partes darẽtur. Quocircâ ad diem crastinum, horâ 8. in eodem Arcis templo, Facultatis Iuridicæ Senior & Antecessor, ac nobis singulariter dilectus *Iohannes Zangerus*, quod ipsi delegatum est, Deo favente, expediet. Atquè ut argumentum Orationis præsciatis, dicturus ille est de initiis & incrementis doctrinæ & Doctorum Iuris in hac Academiâ sub Illustriss. Sax. Electoribus *FRIDERICO III. IOHANNE. IOHAN. FRIDERICO, MAVRITIO, AVGVSTO & CHRISTIANO I.* deq; aliis nonnullis cùm ad Principum illorum, tùm ad Academiæ nostræ gloriam & ornamentum pertinentibus. Vnde videre est, Orationem istam & hoc loco & vestrâ auscultatione dignam esse; ita ut non dubitemus, quin ultrò ad tempus constitutum locoq; indicato frequentes comparituri sitis: quod tamen ab omnibus, qui cives estis Reipub. hujus litterariæ, vel ex abundanti etiam fieri jubemus. P P. Pridie Calend. Novemb. Anno CHRISTIANO M. D. CII.

ORATIO
SECULARIS

In Academia VVitebergensi, Collegii Iuridici nomine

Habita Cal. Novemb.

A

IOANNE ZANGERO U. I. Doctore,
Professore & Facultatis Seniore.

ILlustrissime Princeps AVGVSTE, Rector Magnificentissime, Domine clementissime, Magnifice Domine Prorector, inclyti Barones, viri Reverendi, Consultissimi, Clarissimiq; tuq; Studiosorum nobilium & reliquorum Corona spectatissima, Quanquam mihi semper Academici congressus, præsertim in hoc ad agendum & ad dicendum amplissimo & ornatissimo loco jucundissimi fuerunt: tamen hoc tempore maximis & plurimis nominibus longè jucundiores non esse non potuerunt. Vt enim omnibus alijs, etiam minimis Academiæ commodis ex animo gaudere soleo; ita potissimùm hac tanta ejusdem felicitate, quam ipsi Sacrosancta & Individua Trinitas benè & feliciter evenire velit, vehementer afficior, immortaliterq; gaudeo, nimirum, quod in hos panegyricos conventus incidant termini finesq; seculi primi scholæ nostræ. Exoptatissimam igitur occasionem & materiam amplissimam enumerandi ma-

gnalia omnipotentis DEI, atq; commemorandi virtutes quàm optimè de tota Ecclesia & Repub. literaria, deq; omnibus Europæ politijs meritorum, divinitus offerri, quin omnes boni gratissimis animis agnoscant, mihi dubium est nullum. Dum autem penitius mente mea spacium præteriti seculi respicio, & Academiæ memoriam inde usque à teneris repeto ultimam, neminem tanta eloquentia inveniri posse judico, qui magnitudinem, multitudinemq; beneficiorum, quæ ex hac schola in hanc urbem, in hanc regionem, in communem patriam Germaniam hanc nostram, Immò in totam Europam divina protulerit & contulerit clementia, non modo ornare sat idoneâ oratione, sed saltem enumerare, vel aliquo modo assequi valeat. Religionis & literarum humaniorum doctrinam, anno quidem ortus sui primo accepit, sed scholasticorum & Monachorum fermento & dogmatibus partim intricabilibus, partim falsissimis, barbarismis etiam, & solecismis ita conspurcatam, ut vix religionem, & literas humaniores agnovisses, imò religionem cum literis penè amissam non injuria dixisses. Ab hac autem schola nostra (ad hoc à Deo ter optimo maximo singulariter erecta & electa) veræ religionis lumen, omnium disciplinarum acumen puritatemq; omnes alias Europæ scholas, ecclesias, politias, quasi postliminio recuperasse, ex eaq; in omni disciplinarum genere eruditissimos, in linguarum studijs peritissimos, in facultatibus excellentissimos in totum penè orbem egressos fuisse, uti spero, non iniqui censores, vel historiarum evidentia convicti facilimè concedent & grata mente agnoscent. Non ita ineptio, puerorum more, qui post quam parentum thoraces & arma induunt, parentes se esse simulant, ut nos LVTHERO, PHILIPPO, & alijs, qui hanc laudem Academiæ nostræ pepererunt omnem, vellem exæquare. Nec ita deliro vel ambitione, vel imprudentia, ut mihi scribendam

injuria

injuriarum dicam existimare possint sapientes viri, ac si ego hodie Donatistarum more, Africæ terminis ecclesiam desinentium & pontificiorum modo veritatem & scientiam certo loco & certis personis impiè alligantium, ad hunc locum & scholam hanc omnem sapientiam, omnem prudentiam, omnem pietatem tantùm alligatam esse, solamq; aliis posthabitis & neglectis, magnifaciendam esse censeam. Etenim ut ita animum inducam meum jus & æquitas postulant. Omnes sibi palmarium reperisse, quotquot in aliis stationibus solertes sese dant, atque vel voce vel calamo vel utroque modo publicam communium studiorum salutem ita promotam cupiunt, ut conscientiæ ac Deo satisfaciant: adeoq; non ex una, sed ex aliis quoque hodiè, tanquam ex equo Trojano, ut habent fabulæ, innumeros prodiisse & indies prodire, qui cum fructu & laude scholarum, ecclesiarum & imperiorum clavos teneant.

Sed tamen, quod temporis & certitudinis, adeoq; experientiæ Historicæ jus cogit, id etiam voluntate & bona cum pace suam impetrare à sese sinent omnes eruditi, hoc proximè decurso seculo per hanc Academiam Os Domini & Spiritum Iehovæ miseris mortalibus, qui in densissimis tenebris & in regione umbræ mortis ambulabant, iterum apparere & loqui cœpisse, unaq; cum hac cœlesti sapientia in aliis facultatibus omnia terris bona evenisse, & inde hanc Academiam omnium totius Europæ scholarum, quoad restauratam religiosæ pietatis integritatem, & restitutam honestarum disciplinarum puritatem, Metropolin & matrem agnoscendam esse; reliquas verò omnes, imò & hodiernam nostram tanquam pias & sedulas nutrices plerosque fœtus, ab hac alma matre primum genitos, fideliter exosculari & fovere. Hæc autem omnia cum in hac schola inchoarentur, cumq; à plerisque tunc temporis ignorarentur, quàm difficilia fuerint (quanquam facilia postquam

trita fieri, & pueris propè cognita esse hodie cœperint, nonnullis videantur, quid attinet pluribus exponere? Negabit enim nemo, nisi qui, quid sit Religio, quid Ius, quid Bonum, quid Rectum, nesciunt; qui item quid melius, quid pejus, quid prosit, quid obsit, planè nihil vident.

Hujus eventus omnia fausta sub primam inaugurationem obvia fuerunt, & quidem non pauca. Nam circumferebatur tunc temporis vaticinium de FRIDERICO quodam Imperatore venturo, sepulchrum Domini recuperaturo & vindicaturo. Id quod in FRIDERICO Tertio Electore Saxoniæ completum fuit, utpote, qui pro istius seculi errore religioso unà cum CHRISTOPHORO Bavariæ Duce Palæstinam adiit, & post reditum una cum IOHANNE Fratre hanc scholam aperuit. Deinde cum de loco Academiæ deliberationes instituerentur, ac Elector FRIDERICVS Tertius D. Martini Mellerstadii hoc oppidum nominantis consilium derideret, quod lutosis & stramine tectis, paucissimisq; constaret tuguriolis, & undique arenis angeretur sterilibus ac profundis. Hoc in loco, respondet Mellerstadius, condita Academia cunctas alias Germaniæ luce obscurabit. Accipit omen Princeps, Deumq; precatur, ut eventus exoptatus respondeat, extemplò itaque Sacellum, quod arci contiguum erat, in splendidissimum hoc templum erigit, collegium, quod hodie vetus vocamus, exadificat, Academiamq; introducit. Postea præter fanum S. Antonij post vallum non longè à mola, & præter cœnobium Franciscanorum etiam post vallum, non longè à collegio juridico versus ortum; Augustinianorum cœnobium, ubi communis mensa apparatur hodiè, magnis sumptibus extruit, denique collegium capitularium in hoc templo sex prælaturis, uno officio, quinque canonicatibus constans instituit. Præterea cum hoc præsentisceret Diabolus, virtutis & veritatis

tis cœlestis acerrimus & abjuratus hostis, multos initiò exsuscitavit, qui Principem à proposito isthoc pio abducerent, modò hoc, modo illud prætendentes, potissimùm sumptuum magnitudinem exaggerantes, qui in ædificationem, ut & in salaria docentium impendendi essent.

At verò IOANNE *Duce Saxoniæ, ac* ERNESTO *primate Magdeburgensi fratribus* FRIDERICI *Tertij, Doctore item* Mellerstadio, *Doctore* Staupitio, Cunrado VVimpina *ac Monachis* Cœnobii Augustiniani, *qui postea primi nomina sua Rectori dederunt, cohortantibus & instanter urgentibus, pergit* FRIDERICVS *Tertius, Rectorem primum designat* D. Mellerstadium, *atq; diem inaugurationis & introductionis indicit decimum octavum Octobris Anni Christi supra millesimum, quingentesimi secundi.*

Accersuntur igitur ex vicinia multi viri docti, quin etiam præcipui nobiles & proceres hujus territorij invitati cõparent plerique omnes die antecedente diem inaugurationis nempe decimo septimo Octobris. Quid fit? Illâ nocte, sacrum inaugurationis futuræ solenne proximè præcurrente, malevolorum suggestionibus FRIDERICVS *Tertius ita denuò fuit abalienatus, ut decimo octavo Octobris manè, cum inaugurationis initium omnes expectarent, mandata daret de consecratione Academiæ novæ in tempus aliud differendâ.*

Sed cum adornata essent omnia, Deo fortunante, adhuc vincunt bonorum consilia, & pergunt ad eam rem destinati viri docti, Rectorem à FRIDERICO *superioribus diebus designatum in templum hoc solenni pompa deducunt, facto initio à precibus & sacra concione, hisq; peractis ad lectiones publicas mox descendunt auspicantibus Doctoribus ætate provectis, quos secuti sunt reliqui. Initium igitur Academiæ, & totum opus admirandæ instaurationis veritatis cœlestis, & puri-*

tatis artium divinitus gubernatum fuisse, omnes fateri necesse habent. Die consecrationis concionem habuit Prior Cœnobii Steinlaussig *ad Muldam Fluvium propè oppidum Bitterfeld,* D. Fleccus. *Is igitur ad nomen oppidi nostri secundum vulgi sententiam, alludens, ex hoc albo monte veræ sapientiæ flumina in universum mundum redundatura esse, pro concione vaticinatus fuit.*

Canditam existimant aliqui hanc urbem ante annos plus octingentos à VVITE KINDO *Magno, Saxonum Principe, & rectius denominari quasi* VVitekindi *seu* VVitichÿ πύργον *vel castrum, quemadmodum crebrius in libris antiquis* VVittinburgam, *&* VVyttinberg, *&* VVittenburgam, *seu* VVittichÿ *castrum scriptum reperimus, quàm* VVitebergam, *quasi dicas, album montem: siquidem hoc in loco nullos montes, sed tantum colliculos quosdam à parte Septentrionali conspicere licet.* VVitte *vel* VVittichÿ *nomenclationem Lutherus in libro aliquot nominum ad priscam Etymologiam restitutorum, classe quarta, prudentiæ seu peritiæ significationem continere docet. Vnde* VVitekindum *sapientem infantem Historici quidam interpretantur. Qua ratione non inepte praedicere aliquis potuisset, omnis generis sapientiam ex hoc castello* VVitekindi *tanquam sapientis infantis in universum orbem terrarum disseminandam fuisse. Ac quod à primo Rectore in album studiosorum intra sex menses numero supra quadringentos sunt relati, certum argumentum præbebat, Academiam futuram frequentissimam. Hinc est, quod,* DEI *beneficio, numerus hoc primo seculo seu centenario inscriptorum complectitur ultra quinquagies mille, sexcentos viginti octo: quemadmodum eodem hoc primo centenario Academia nostra liberalium artium magistros renuntiari vidit quater mille octingentos novem,*

ut de Doctoribus proclamatis, quorum tamen numerus minor est, nihil dicam.

Dum autem & vobis & mihi primam hujus nostræ scholæ inaugurationem in mentem revoco, quæ sanè, ut dixi, magna cum solennitate & pompa peracta fuit, cui proceres nobilitate excellentes ac generis splendore insignes, alïque viri clarissimi interfuerunt, simul occurrit, quod de Xerxe rege Persico commemorat Historicorum omnium sic dictus parens in polymnia. Postquam enim is intuebatur ex alto loco copias toto quadriennio contra Græciam collectas, multitudine propemodum innumerabiles, nimirum omnem Hellespontum navibus obductum, omnia littora atque Abydænorum PLANA hominibus referta, ibi quidem se beatum jactavit, sed tamen simul lachrymas profudit. Interrogatus autem cur hoc faceret, respondit, reputantem sese quàm brevis sit omnis humana vita, subiisse horum miserationem, quorum cum tot sint, nemo tamen ad centesimum inde supputatum annum superfuturus esset. Sic enim una hominum generatio oritur, altera occidit, terra verò in qua oriuntur & occidunt perpetuo durat, teste Ecclesiaste. Pari ratione, reliquos esse parietes hujus templi & collegiorum primorum ab annis centum, reliquas chartas, arbores, quin & forsan reliqui sunt corvi & cervi. Ex illis autem, qui ante annos centum primæ inaugurationis actores fuerunt & spectatores, hoc die supereſſe videmus & scimus neminem, adeò mediusfidius, ut tàm miseram humanæ fragilitatis condicionem etiam hosce parietes deplorare existimem, quod ex nobis, qui aliis cursu lampada tradere cogemur, post centum annos in tertia, si Deo ita visum fuerit, inauguratione, ne unum conspecturi sint & ipsi superstitem.

Quemadmodum enim nos, quovis vere, nova cernimus folia; ita & ipsi tunc prorsus novam spectaturi & exaudituri

sunt generationem, quæ in domos, in agros, in urbes, in arcanos thesauros nostros potestatem usurpabit plenam, inq; dicta, & facta & scripta nostra judicium sibi sumet ac feret liberrimum. Et Tu, si modò post annos centum futura es, posteritas, tanquàm soboles nostra suavissima, in tertia, si Deus tibi concesserit, inauguratione, eorundem memor, nobis tibi veterum illud suggerentibus, Fuimus, quod estis vos, *simili modo respondebis,* Erimus, quod estis vos.

Quod autem nunc á me postulat ipsa pietas, omnium vestrum & meo nomine, gratias quantas possum, pectore meo concipio, & habeo immensas; ore verò meo ago & agam immortales æterno patri æterni filii Domini nostri Iesu Christi, una cum æterno Spiritu sancto, quod his postremis temporum articulis oculis misericordiæ suæ nos miseros à Monachis, tanquam à latronibus spoliatos & sauciatos aspexit, atque in hoc oppido quasi divertens, ex hoc totam Ecclesiam sanavit, aliisq; magnis bonis ditavit, hãcq; Sareptam tot annos, inter tàm varias mutationes sartam tectam præstitit, atque in hoc usque secundi centenarii principium conservavit. Eundem æternum Deum votis ardentissimis imploro, ut eam in senecta quoque humeris suis portet, & largiatur omnia, quæ ad pacem sunt Ierusalem, ut semper maneat laus ejus in Ecclesia sanctorum, & ut hoc quoque secundo seculo magni mensuram nominis implens, cum veræ fidei, tum bonarum disciplinarum mater & officina sit & permaneat.

Quibus ita breviter præmissis, ad rem ipsam propriumq; instituti mei argumentum accedo, ubi initia & incrementa doctrinæ & doctorum juris sub Illustriss: inclytisq; Saxoniæ Septemviris FRIDERICO *Tertio,* IOANNE, IOANNE FRIDERICO, MAVRITIO, AVGVSTO & CHRISTIANO *Primo, Principibus æterna memoria dignis-*

simis & nunquam sine summis laudum Encomiis nominandis, in hac Academia qui floruerint, commemorabo: quibus insuper addam (habita temporis ratione) quàm brevissimè, quomodo dicti Principes paterno semper favore complexi sint tàm facultatem nostram, quàm universam Academiam, quomodoq; nihil, quod ad amplificandam, exornandamq; conducere videbatur utramque, praetermiserint, nec ullis sumptibus pepercerint. Id autem, quicquid est laboris, non ostentatione ingenii, non ambitione, aliove turpiore vitio in me recipio: sed serenissimi Electoris CHRISTIANI Secundi, Domini nostri clementissimi mandato & jussu, ordinisq; serie postulante, flagitante.

Etsi verò non ignoro multorum iniqua & imperitia, calumniaq; plena de hac professione judicia: tamen cum sacratissimarum legum nostrarum doctrinam neque ex adulatorum neq; tyrannorum cerebris, sed ex ipso Decalogo extructam esse constet, ac Ethnicis ipsis attestantibus, nihil unquam praestabilius, nullumq; humano generi lumen, ac post Dei verbum, exoptabilius praesidium contigerit, cumq; in hoc inclyto consessu legum nostrarum custodem divinitus nobis cõstitutum Illustriss. Principem ac Dominum. Dn. AVGVSTVM Rectorem Magnificentissimum, aliosq; inclytos juvenes, viros item doctissimos & aequissimos de juris scientia censores ex hac cathedrâ, humilima cum subjectione ac veneratione singulari prospiciam: nihil est, quod imperitos morer, quin potius sine ambagibus rem ipsam aggrediar, & vos, ut me clementer & patienter audiatis etiam atque etiam rogem.

QVAE causae moverint Illustriss. Principem Ducem Saxoniae Electorem FRIDERICVM III Sapientem, ut circa initium anni Christi millesimi quingẽtesimi de Academia quadam in his terris condenda deliberationẽ susciperet: quibus occasionib. ho-

templum, Omnium ſanctorũ dictum, extruxerit, Academiam q; cum Eccleſia collegiata hujus templi conjunxerit, ex hiſtoryis prolixius repetere ſuperſedeo: cũ illud à me & ab aliis ſit factũ alio tempore. Eam quarto Nonas Februarij anno ſupra ſeſquimilleſimum ſecundo Raymundus Cardinalis nomine Põtificis confirmavit, & cum in hiſce locis oleum olivarũ non creſcat, neq; ſine magnis impenſis ex remotiſſimis oris afferri poſſit, præterea cum oleum nucum & ſimiliũ rerum raucedinem & alia corporis incommoda pariat, eodem anno docentibus & diſcentibus in hac ſchola indulſit ad annos viginti, ut quadrageſimatibus, (cogor loqui cum Raymundo) & alius diebus, quibus butyri, caſei & aliorum lacticiniorum eſus eſſet prohibitus, dũtaxat ſeptimana, qua memoria paſſionis & mortis Chriſti in Eccleſia celebrari ſolet, excepta, butyro caſeo, et alijs lacticinijs abſque conſcientiæ ſcrupulo liberè veſcerentur, non obſtantibus decretis generaliũ vel particularium Synodorum. Cum igitur poteſtatem erigendi Academiã, pro temporum illorum ratione ſeu potius tyrannide, FRIDERICVS Tertius, Elector, à Papa, numeratis bis mille Ducatis Vngaricis impetraſſet, & accederet Maximiliani primi, Romanorum Imperatoris laudatiſſimi approbatio, anno Chriſti 1502. ipſo die ſancti Lucæ, eam ſolenniter, ut antea oſtendimus, introduxit, at uſque ad annum Chriſti 1508. certis ſtatutorum formulis, uti opinor, gubernandam curavit. Illis ſtatutis ordinis noſtri homines, gratis & abſque mercede, tantũ beneficio illuſtriſſimorum Principum fundatorum promovebantur, ut loquũtur, donec anno ſupra ſeſquimilleſimũ octavo alia ſeu nova promulgarentur, in quib promovendi ad certam pecuniæ ſummã, prout adhuc hodiè obſervamus, adiguntur. Conſideratione verò & prædicatione æterna dignum eſt ſapientiſſimi Principis & Electoris de Iuris & Iuriconſultorum auctoritate & debitis honoribus judicium,

quod

quod in legibus seu statutis facultati Iuriconsultorum ann. Christi supra sesquimillesimum octavo propositis extat, Ibi enim scribit, sese, ut hoc Gymnasium (tunc ab ipso recens apertum ex omni parte absolutum, & Principatus sui Oraculum meritò dici posit, in eo Iuriconsultos quoque instituere necessarium duxisse, utpote à quibus Responsa, vitæq; consilia postularentur, quiq; sacratissimas leges profiterentur. Mox ibidem in legum digressus commendationem, Leges enim, inquit, totæ sunt in æquitate & moderatione, totæ in prudentia, totæ in philosophia & profundissima sapientia constitutæ, totæ ad genus humanum regendum & defendendum excogitatæ, totæ ad vitam benè, beateq; agendam inventæ, sine quibus nullum imperium diturnum esse potest, propterea quòd armis Imperia comparentur, sed parta legibus conserventur. Sicut igitur sine armis regna acquiri non possunt: ita nequeunt hæc eadem sine legibus custodiri, propterea quod leges sunt muri, & fundamenta Civitatum, in quibus bonos quàm tutissimè detinent, malos arcent, in quibus salus bonorum, consilia civitatis, & pacis præsidia continentur, quibus vita perinde servatur, sicuti corpus cibo sustentatur. Hisce de causis (inquit & pergit) usu se didicisse hujus professores non tàm juris et justitiæ, quàm sapientiæ Consultos apud Principes in altissimo rerum dignitatumq; fastigio collocari, propterea, quod parum valeant arma foris, nisi consilium præcesserit domi, pectora siquidem sunt potiora manu, vigor animi in illis est, & Agamemnon decem Nestores maluit, quàm totidem sibi exoptare Ajaces. Hæc omnia Princeps Elector sapientissimus.

Quod igitur interpretandi & discendi juris rationibus optimè prospectum cuperet, & à Iove, quod dici solet, initium faciendum censeret: Ideò Iuriconsultorum facultati in Deum tutelarem delegit sanctum IVONEM. Hic natione fuit

Britannus, & vixit sub Carolo Quarto, propter doctrinam & singularem eloquentiam, etiam mira pietate celeberrimus. Cranzius libro nono Metropoleos capite tricesimo quarto, eum angelica continentia præditum fuisse refert, & Romæ vitam suam à vino & esu carnium omninò conservasse intactam, corpus cilicio æperuisse, jejuniis, vigiliis, & orationibus etiam Monachos longo post se intervallo reliquisse, nudam pro cubili terram lutevm, Saxum pro cervicali, & Bibliorum Codicem pro pileo usurpasse, suumq; quod habuerat, patrimonium ampliſsimum in pauperum & orphanorum, & viduarum causas defendendas, insumsisse, unde procuratorum Luterna, & pauperum Advocatus cognominatus, indeq; sactorum classibus importatus fuerit. Severè igitur præcepit FRIDERICVS III. *ut nostra facultas hujus Ivonis Iuristarum Patroni festum quotannis decimo nono die mensis Maij in templo solenniter perageret, nimirum, ut Decanus invitaret Rectorem cum reliquis Professoribus admissam super altari Ivonis celebrandam, ut tunc temporis nostri à Rectore proximum occuparent locum, ac, ut in alijs facultatibus, primæ vesperæ haberentur, hoc est, solennitas, talis cum organo & cantu institueretur. Deinde quod illâ tempestate præ reliquis florerent, & ab eruditis passim commendarentur studia Tubingensis Academiæ, suam scholam tùm Lipsiensis, tùm Tubingensis colonimam esse voluit, advocatis Tubinga duobus primis juris in hâc Academiá Professoribus,* VVolffgango Stälin *Rotenburgensi ad Neccarum, Tubingæ promoto, juris utriusque Doctore & Ordinario,* & Ambrosio Vallando *de Gruningen primo in jure civili ordinario. Vollandus Tubinga secum adduxit comitem, juris studiosum, Hieronymum Schurffium Helvetium, de quo postea. Ad istos duos anno millesimo quingentesimo tertio accessit tertius* Vincentius Ravennas *Italus*

quem ante aliquot annos Bogislaus Pomeraniæ Dux secum in has oras adduxerat. Sed cum Vollandus vix annum unum hoc in loco jura docuisset, moxque in patriam reversus Ducis VVirtenbergensis Cancellarium agere cœpisset, ideo Hieronymus Schurffius *gradu Doctoris ornatus est, & Vallando in munere legendi succedit. Primositaq; quatuor juris Professores habuit Academia, VVolffgangum* Stälin, *qui primus Collegij Decanus fuit, Ambrosium Vollandum, Vincentium Ravennatem, & Hieronymum Schurffium. His postea plures fuerunt adjuncti, & anno Domini supra sesquimillesimum octavo, quo nova Academiæ, & sua singulis facultatibus statuta fuerunt à Friderico commendata, facultatem juridicam repræsentarunt, ut loquuntur, VVolffgangus* Stälin, *I. V. D. & Ordinarius, Laurentius Schlambavv juris Canonici Doctor & Plebanus VVittenburgensis, Hieronymus Schurffius juris Doctor, Legum Ordinarius, Christophorus Scheurlin Norinbergensis I. V. D. & novorum jurium Ordinarius. Paulò post circa finem anni supra sesquimillesimum octavi viri jam denominatis annumeratus est Iohannes Magenhöfer I. V. D. & hujus templi Præpositus, qui ob auctoritatem primum in facultate locum occupasse scribitur. Quo ipso anno, decimo sexto Novembris, Vicedecanus, Doctor Scheurlin facultatis juridicæ nomine, Doctorum juris Canonici titulum & insignia contulit duobus doctissimis viris, Vldarico de Dönsteht, Pastori in Eisfeldt, hujus templi Canonico & Cantori, nec non Casparo Schicker, huius templi Canonico & Syndico, idq; hoc ipso in loco, præsentiâ suâ hunc actum exornantibus illustrissimis Principibus,* FRIDERICO *tertio Electore,* IOHANNE *fratre, tuæ item, illustrissime* AVGVSTE, *celsitudinis abavo* HENRICO *Saxoniæ Ducibus, &* PHILIPPO *principe Brunsuicense. Horum vestigiis insistens*

IOHANNES FRIDERICVS Septemvir decima octava Iunij à nato Christo supra sesquimillesimum tricesimo tertio D. Crucigeri, D. Bugenhagij, & D. AEpini disputationi pro gradu & actui promotionis interfuit. Vt autem actus hi nostri publici majori cum auctoritate instituerentur, & celebriores essent, maturè legibus suis FRIDERICVS jusserat, ut ad Baccalaureorum & Licentiatorum creandorum solennia à viris doctis & honestis præeuntibus Pedellis sceptiferis (quorum ea ætate quatuor, postea tres, hodie tantum duos alit Academia) ad aulam verò Doctoralem, ut loquuntur nostri annales, hoc est, ad actum Doctoratus, præequitantibus ijsdem Pedellis sceptiferis hospites invitarentur. Quantum autem creverit per DEI gratiam spacio annorum octo cum dimidio Facultas juridica, hinc æstimare licet, quod anno supra sesquimillesimum undecimo juridicum Collegium constituerint Doctores undecim, nimirum: Dn. Henningus Göden, Laurentius Schlambavv, VVolffgangus Stälin, Hieronymus Schurffius, Christophorus Scheurlin, Vdalricus de Denstedt, Caspar Schicker, Paulus Penkovv, VVolfgangus Reissenpusch, Christianus Bajoarius, Conradus Küünig. Inter hos Collegas quàm sancta fuerit societas & animorum conjunctio, expers Machiavellicæ & veteratoriæ, tunc prorsus ignotæ orbi Diabolicæ simulationis, quæ quid possit, nemo est, qui non intelligit, addo etiam cum pietate, quæ tamen tunc admodũ erat corrupta, suo modo coniuncta (id quod capite nono legum mandaverat Fridericus, ut inprimis se mutuo amarent, nullus contra alium conspiraret, sed essent unum corpus, & una anima, unum velle & unum nolle) judicare difficile non est. Cum enim eodem anno in domo Decani Christophori Scheurlin, *negotiorum Collegialium gratia congressi essent, inter sese convenerunt, ut bini & bini ex ordine*

Doctorum cæteros ad prandium & cœnam invitarent, & ut singulis diebus, quibus duratura erant illa sympoſia, manè pro ſalute ipſorũ & ſtudiorum juridicorũ miſſa celebraretur in fano Beatæ virginis tunc ſito in vertice montis V Vollerbergij, qui Apollinis nomine hodiè clarus eſt. Ad illud. n. quod tum religio, dicam potius ſuperſtitio, jubebat, peregrini magno numero confluebant. Vnde orta conſuetudo eſt, quod ab eo uſque die ſcholæ noſtræ ſtudioſi montem illum V Vollerbergium frequentius, quàm alios montes & campos vicinos animi cauſa invi ſunt & perluſtrant.

Eodem anno & quidem die decima ſexta Septembris Reverendus pater, Iohannes de Staupitz *Vicarius & Provincialis Hieremitarum, VViteberga in monaſterio à ſe conſtructo celebravit Synodum ſuorum fratrum, ubi accerſitis adhuc ad actum illum et congregatis in templo hoc Doctoribus viginti ſeptem, quatuor ſacræ Theologiæ Profeſſores publice declaravit: quòd ſpectaculum VVitenberga, ubi tàm familiaris Doctorum gradus nondum erat, antea haud viderat, teſtibus annalibus noſtris. In hunc uſque annum & diem ab initio conditæ Academiæ Iureconſulti prælegerant in domo quadam prope cœmiterium Beatæ virginis ſeu templi parrochialis. Alium locum non habebant, niſi quod, cum deliberationes in facultate inſtituendæ eſſent, vel in domo Decani, vel in Beatæ virginis, vel in huius templi ſacrario, vel in ædicula S. Antonij, convenirent. Cum verò anni ejuſdem die viceſima ſeptima Septembris ad Academiam noſtram tanquam ad Mercaturam bonarum artium diſciplinarumq; ingenuarum profecti venirent illuſtres principes OTTO & ERNESTVS Luneburgenſes, ab avuncuiis ſuis Ducibus Saxoniæ FRIDERICO & IOHANNE ducaliter, ut noſtri annales loquuntur, educandi, juſſu Principum ipſa die noſtri in arce & quidem in*

superiore aula legere, disputare, deliberare, Baccalaureos renunciare caperunt.

Nominant & celebrant statutorum nostrorum libri Theologiæ magistros, h. e. ut hodie loquimur, Doctores & Professores, seu Lectores eodem anno, Martinum Mellerstadium, artium & Medicinæ Doctorem, & sacræ Theologiæ interpretem acutissimum, Petrum Lupinum Magistrum Theologiæ, hujus templi custodem, & Andream Carolostadium Theologiæ Magistrum, & ejusdem Templi Archidiaconum absque dubio successorem Doctoris Iodoci Eisenachij sacræ Theologiæ Professores primi Archidiaconi V Vittenbergensis, quod frequenter & crebrò interfuerint nostrorum disputationibus & actib. alijs etiam illis, cum vel in hoc templo, vel in templo parrochiali candidati juris, sequente magno Doctorum & scholasticorum, quibus omnibus postea refectiones, ut loquimur, dabant, numero, Vicecancellario præsentarentur. Cum enim hoc sæpissimè indicato anno supra sesquimillesimum octavo, Academiam Iulius Secundus, Pontifex Romanus Privilegijs datis & per Stanpitium Roma allatis confirmasset, illius Inspectorem seu Cancellarium Præceptorem domus Lichtenbergensis propè Brettinam ad Albim, non longè ab oppido Torga Sitæ, tunc temporis Gosvvinum de Orsoy, *constituerat, qui Pontificis nomine facultatem tribuendi & conferendi gradus scholasticos concederet. Cancellarius Lichtenbergæ, ubi sedem suam, ut nominabantur, Domini seu fratres sancti Antonij habebant, impeditus, vices suas plerunque Mellerstadio vel cuidam alij committebat, ad quem Novi Candidati magna cum pompa deducebãtur, eiq; pro admissione supplices fiebãt. Hãc tamen præsentationem post initium reformationis Divi LVTHERI anno supra sesquimillesimum vicesimo primo, sub Decanatu* D. Hieronymi Schurffij *sustulerunt, Vicecancellarij*

munere ad Decanum devoluto, ubi simul equitationem pro grada Doctoreo cuivis liberam reliquerunt.

Sata itaq; felicia fuerunt in hac nostra Academia Iurisprudentiæ exordia sub primis, quos hactenus investigavimus, Doctoribus, viris scilicet variarum rerum notitia & jurisprudentia usque excellentissimis. Vt enim brevitatis studio de alijs nihil dicam, nonne Hieronymus Schurffius *&* Iohannes Göden *præclaram famam, & solidæ in legibus scientiæ, accuratissimæq; legum interpretandarum facultatis existimationem apud exteros quoq; obtinuerunt? Edidit certè* Schurffius *consilia, in quorum centurijs magna spectatur varietas, utilis ad dijudicãdas emptionum naturas, & ad discernendas emptiones ab usurarum pactionibus, ita ut nullius extare scripta magis perspicua de contractuum distinctionibus magnus ille Iurisconsultus et Practicus insignis* Michael Teuberus *censeret. Postquam autem sub tribus Electoribus* FRIDERICO, IOHANNE *&* IOHANNE FRIDERICO *annos quadraginta duos hic feliciter leges explicasset, propter bellum discessit, ab inclyto Marchione in Academiam Francofurdianam accersitus. Ibi annos septem etiam de jure benè merebatur, & cum Carolus Quintus ipsum collegis summi in Imperio Romano--Germanico judicij annumerare vellet, senectutis excusatione, quod annum ætatis septuagesimum attigisset, utens illum honorem infinitis cum molestijs & laboribus junctum accipere noluit. Henricus Göden præter librum ab ipso divulgatum de processu judiciario consilia conscripsit, quæ tandem* IOANNIS FRIDERICI *Electoris mandato in lucem prodierunt. Ad hunc delatas fuisse causas difficilimas ex tota Germania, percepimus, & de ipso Melchior Klingius testatur, quod ingenio eruditione, & usu excelluerit, tum.*

verò incorruptæ veritatis in jure amantissimus, maximèque à sophistica alienus fuerit, & quod viderit, ut perfectus artifex, veros controversiarum fontes, & ut veteres loquebantur, viderit ubi esset; nec à statu aberraverit, nec exeruditis opinionibus centenos congesserit, nec ut Semidocti umbras pro rebus ipsis, aut imaginationes à vulgo sumptas proposuerit, sed nervos Legum, & nativam sententiam iuris summa dexteritate in pronuntiando expresserit. Quæ (inquit Klingius) cum sit præcipua laus artificis, meritò HENNINGVM inter laudatissimos, & ingenio, doctrina, prudentia, dexteritate præstantissimos numeramus. Imò HENNINGVM tum temporis, Monarcham iuris passim nominatum fuisse, Historiæ docent. Vtquè suam in ipsum clementissimæ voluntatis affectionem modis omnibus faceret testatam FRIDERICVS, illum huius templi præpositum esse voluit, quemadmodum in primo consilio seipsum vocat præpositum VVittenburgensem, & anno supra sesquimillesimum octavo in novarum Legum promulgatione cum aliis Generalem Academiæ Inspectorem & Reformatorem constituit. Nam quod sæpe novos casus in Academia emergere, qui novis indigerent deliberationibus, perspectum haberet Elector FRIDERICVS, ideo viros quosdam eximios, à quibus reliqui omnes dependerent, seligere & denominare perneccessarium duceret, initio jussit audire generales studij reformatores, Rectorem pro tempore, Henningum Goden Præpositum, Petrum Lupinum, VVolffgangum Etalin devotos Magistros nostros & Doctores. Verum sub IOANNE FRIDERICO paulatim dictorum Reformatorum status mutari & amplissima potestatis ipsorum pars ad Principem redire cœpit, reliquis inferioribus capitibus Rectoris & quatuor Seniorum collegio demandatis:

In quam sententiam IOANNIS FRIDERICI, MAVRITII, AVGVSTI, CHRISTIANI primi Electorum, FRIDERICI WILHELMI sanctissimæ recordationis rescripta, constitutiones & diplomata plurima in medium proferri possent, si instituti mei ratio ferret.

Hactenus breviter delineavi, quæ fuerint initia & incrementa studij juris in nostra schola usque ad resormationem à beato LVTHERO susceptam. Hujus autem viri summi de nostra professione sententiam multis de causis obiter inserere, opere precium esse videtur. Cum enim doctrinæ cœlestis repurgationem adversarij, & in hac Ecclesia collegiata, & multo magis alibi prorsus spernerent & floccifacerent, adeò, ut Colonia supra sesquimillesimum vicesimo, ejus libros tanquam hæreticos & damnatos publicè exurerent: Ipse quoque convocata scholasticorum multitudine, & comitantibus multis viris doctis, decimo die Decembris anni ejusdem ante prandium hoc in loco extra portam Elistræ libros pontificij juris cum
" *hac imprecatione combussit:* Quoniam sanctum Domini
" contristasti, contristet ac devoret te ignis æternus. *Non*
" *fecit illud in contumeliam aut Iuriconsultorum, aut legum u-*
" *tilissimarum, quas Pontificium jus complectitur, quasque in*
" *Academijs jussu principum utiliter conservant & explicant*
" *Doctores, sed in ignominiam Papæ, & detestationem impiorũ*
" *Decretorum, quæ bonis legibus admiscuerunt. In libro seu co-*
" *hortatione ad parentes de introducendis liberis in scholas, &*
" *quidem altera sermonis parte extat judicium ipsius sapientia*
" *plenum hisce verbis: Cum Germania nostra legibus scriptis in*
" *jure Cæsareo gubernetur, quæ nihil aliud sunt, nisi testimonium*
" *sapientiæ divinæ: Destructis in sanctionibus, impossibile est,*
" *aliquam Rempublicam salvam consistere vel sartam tectam*

servari posse. Quis enim sustinet incolumitatem Imperij? Equi & currus, manuumq; & armorum validitas hæc non faciunt, sed ex sola prudentia, quæ ex libris scriptarum Legum comparatur, stat & cadit, ejus est consilium & æquitas, per ipsum reges regnant, & legum conditores justa decernunt. per eam Principes imperant, & potentes justitiam moderantur. Item: Quantumvis magnam laudem meretur in Principe, & Consiliarijs, naturali judicio rationis & prudentiæ præditum esse, & quasi memoriter legum scriptarum vim tenere, sicut secundum ipsum Elector Saxoniæ Fridericus, & equites auratus Fabianus à Feilitsch in hoc genere fuerunt excellentes: tamen quia talis judicij rara avis in terra, nigroq; simillima cygno est, & imitatio periculo non caret, his ac aliis de causis præstat jus commune scriptum sequi. Item: Hinc accidit, ut quemadmodum piis Theologis in regno Christi, appellatio Angelorum, Prophetarum, Sacerdotum, ministrorum & Doctorum tribuitur: ita pii Principes, Iureconsulti, Cancellarii, Secretarij, Scribæ, judices & Assessores, Advocati item & Notarij, qui vel ipsi gubernant Respublicas, vel alijs moderatoribus operam suam præstant, ut secundum leges scriptas gubernentur subditi, meritò & Doctores, & Sacerdotes & antistites justitiæ & ministri, rerumq; publicarum tutores & conservatores appellari possint. Hæc omnia graviter Doctor LVTHERVS: quæ etiam iniquissimis calumniatoribus os sufficientissimè obturare queunt.

Sed ad nostros revertar, & ne diutius vestra in auscultando abuti velle videar patientiâ, orationis vela contraham, brevius demonstraturus, quantum etiam post initia Reformationis Lutheri sub reliquis Electoribus Saxoniæ laudatissimis scholæ juridicæ exercitia floruerint.

ORATIO

FRIDERICVS Tertius de uberiore juridicæ praxeos materia docentibus & discentibus prospecturus, curiæ provincialis judicium VVitebergam transferebat. Professoribus juris in Assessorum numerũ cooptatis, potestate item auscultandi sententiarum dictarum publicationem discentibus permissa.

Successor FRIDERICI, IOHANNES ELECTOR, constans nominatus, non tantum huic fratris sui voluntati subscripsit, sed anno Christi supra sesquimillesimum vicesimo nono die Martis post Luciæ, accedente consilio & comprobatione omnium totius Electoratus Saxonici ordinum, huic provinciali judicio Iohannem Metzsch præsidem dedit, eiq́ unde cim Assessores adjunxit, Gregorium Brück, Christoph. Gross, Benedictum Pauli, Fridericum Brandt, Iohannem Appel. Matthæum Löser, D. Casparum à Teutleben, Iohannem à Kanitz, Ertmannum Preuß, Bernhardum ab Hirschfeldt, & Guntherum à Drossel, & ut & ipse Doctores & Licentiatos magis magisq́ acueret, eidem Scabinatum addidit & conjunxit, simulq́ sanxit, ut non tantum in curia, quod singulis annis quater contingit, cum Equitibus auratis, sed etiam in Scabinatu in quibusvis causis controversis sive civilibus, sive criminalibus, ad requisitionem tùm judicum ordinariorum aut delegatorum, tùm litigantium, aut aliorum quorumvis de jure responderent.

Sicut autem FRIDERICVS, itemq́ IOANNES suas partes strenuè fecerunt: Ita quoque illos secutus est IOANNES FRIDERICVS Elector, Magnanimus, ideò dictus fundator huius Academiæ, quia anno supra sesquimillesimum tricesimo sexto die Maÿ septima, quæ in Dominicam Iubilate incidebat, in hac arce, in conclavi holosericis exornato, in præsentia plurimorum procerum, hoc templum & omnes pagos, quos ex RVDOLPHI Anhaltini Electoris quondam Saxo-

nia munificentia Sacellum, quod arci contiguum fuit, postea q̃ capitulum Canonicorum huius templi sibi vendicabat, Academiæ donavit & concessit, ac abrogato Canonicorũ & similium titulis certum Professorum numerum constituit, Senatui Academico, vacante professione per mortem aut resignationem, idoneos successores Principi denominandos potestatem fecit, Fisco promotionum per FRIDERICVM instituto Fiscum Fundationis addidit, & ut nihil omitteret, quod ad Academiæ dignitatem augendam pertinere videbatur, clementissime Rectori & Senatui Academico etiam jurisdictionem, super omnia bona subditorum tàm in pagis quàm in oppido concessit, & Professores alios q̃ actu studentes ab oneribus plerisq; maximè personalibus, immunes esse voluit. Is ergò inquam ἀσύμβολος esse noluit, sed ut ipsius quoq; in juris studium illustrandũ merita extarent, non tãtum Scabinatum cum Academia conjunxit, sed Vviteberg æ Consistorij Ecclesiastici sedem esse, & præter Theologos ex duobus Iureconsultis Professoribus publicis constare voluit, quibus juris Canonici & civilis præcipuas materias tractandi et exercendi occasiones plenis velis afferentur.

Huic utilissimæ sanctioni MAVRITIVS ille animo suscipiendi res arduas & perficiendi constantia nulli majorum suorum inferior, de Christi Ecclesia tota propter Passavienſe fœdus & pacem Religionis impetratam omnium maximè meritus, nostri seculi Alexander Magnus, non tantum calculum dedit, sed insuper assessoribus Consistorij ad industriam & diligentiam suscitandam honesta destinavit stipendia Itaq; sub IOHANNE FRIDERICO præter Hieronymum Schurffium hoc in loco gratissima mellificia exercebant D. Caspar de Teubleben, ordinis equestris, D. Benedictus Pauli, D. Caspar Lindemannus, D. Sebastianus Musterer, D. Chilianus Goltstein, D. Melchior Klingius ex monumentis posteritati relictis

bene notus, L. Conradus Mauser, cuius de processu juris, de exceptionibus & de nuptiis prostant commentationes. Accesserunt sub eodem D. Bleikardus, D. Laurentius Zochius magni illius Schurffij gener, & D. Huldaricus Mordeisen, sed sub MAVRITIO Electore, Tuæ celsitudinis Illustrissime Princeps AVGVSTÆ patruo magno D. Laurentius Lindeman, D. Ioannes Trautenbul, & D. Ioannes Snedevvin. Possem autem longas contexere præconiorum telas, quanta sint beneficia, quæ singuli docendo, scribendo, gubernando patriæ, juri, & imperio contulerunt. Illum prorsus silentio præterire nequeo, qui exteris quoque notus est, Ioannem Sneidevvinum. Is Schurffij, Chiliani Goldstenij & Melchioris Klingij præceptorum secutus vestigia quam plurimum sibi totam devinxit posteritatem, relicto post se commentario super Institutiones, aliorum in hoc genere labores superante, adeò ut à magno VVesembecio dignus judicaretur, cui de suo quædam adjiceret, ut locupletior & usui aptior redderetur. Ac quantum isti tribuere debeant legum studiosi, vel ex hisce perspicuum evadere potest. In ferendis sententijs penè superstitiosam dicitur Sneidevvinus adhibuisse circumspectionem, ut ne quid de re nondum satis explorata proferret impræmeditatum, cujus eum tandem pœnitere potuisset, itaq; cum de capite, cum de fortunis statuendum fuit, sæpius perlectis rerum gestarum commentarijs, & rationum momentis accuratius pensitatis Deum orabat, ne inter legendum otioso esset animo, aut rerum alienarum curis occupato. sed tantum in hanc præsentem causam intento atque uni solum negotio vacante. In negotiis verò principum & Rerumpublicarum ita versatum fuisse, ex aliis cognovimus, ut semper repeteret illud, Nec spe nec metu.

Porro sub AVGVSTO Electore Saxoniæ Augustissimo,

Tuæ celsitudinis, Princeps AVGVSTE, avo perpetua memoria dignissimo, nisi quis non Academiam modo totam, sed inprimis etiam facultatem juridicam nostram ad ἀκμὴν suam quandam pervenisse dixerit; is parum videre videri potest. In confesso enim est, ipsum omnes antecessorum suorum ordinationes, donationes, Academiæ concessas immunitates, libertates, jurisdictionem, omnia jura & privilegia auxisse, & aliquoties gravissimè confirmasse, stipendiariorum numerum extendisse, eisq; ampliores idcircò census consecrasse, & ut precum & studiorum exercitia conjungere possent, destinasse eis ædes magnis sumptibus ab hæredibus beati LVTHERI emtas, quas Cœnobium Augustinianorum vocant, illisq; vicinas alias illustres addidisse, & extruxisse, quas Collegium Augusti dicere consueverunt. Ipsius munificentiæ acceptum ferendum esse nostis omnes, quod bis mille modii VVitebergensis frumenti puri quotannis in mensæ communis, ut vocant, alumnos sustendandos ex electorali frumentario erogantur, quodque aliis pauperibus hebdomatim panes, aliis alia stipendia annuatim distribuuntur, & quod multis decumbentibus in Nosocomiis necessaria alimenta & medicamenta subministrantur, quod denique quibusdam ordinationem Theologicam petentibus & ex dissitis locis advenientibus eleëomosinæ similes communicari possunt. Toti quoque orbi Christiano notum est, quantis molestiis & difficultatibus, hanc Academiam quorundam curiosorum, sub nomine cum LVTHERI, quem Dominum, patrem & syncerioris religionis restauratorem nominabant; tùm PHILIPPI erroneis opinionibus, quas Ecclesiæ inferioris Saxoniæ in sua confessione anno 71. patefaciebant & solidè cum gravitate & molestia ex fontibus sacræ scripturæ, patribus & scriptis LVTHERI & PHILIPPI publicis refutabant, infectam, ad pristinam do-

ctrinæ

ctrinæ normam reformaverit, & ab omnibus hæresibus cum Augustanæ confessione pugnantibus repurgaverit, simul quconsilio & auctoritate reliquorum statuum Imperij Augustanæ confessioni addictorum concordiam, in Ecclesia constituerit, cujus beneficij nullam unquam posteritatem capiet oblivio.

Quod autem in Iureconsultis & legibus juvandis nihil vel industriæ vel operæ, vel affectionis clementis prætermiserit, ex varijs indicijs colligere nemini non promptissimum est. Anno supra sesquimillesimum sexagesimo nono in exordio Legum ab eius celsitudine confirmatarum scribit, quod jurisprudentia ad salutarem Rerumpub. gubernationem non minus, quàm vel ad propellendos arcendosq; hostes rei militaris scientia, vel ad corporis sustentationem cibi usus, necessaria sit: & quod non solum tot viros juris doctrina claros, quot Agamemnon Nestores, aut Darius Rex Persicus fideles Zopyros optabat, sibi addictos esse cupiat, verum etiam longè majori prudentum doctorumq; hominum numero, quorum opera & consiliis in gravium negotiorum tractatione uti possit, se stipatum ac munitum esse posse, vota ad Deum faciat.

Non aliud fuisse votum CHRISTIANI primi Electoris Tuæ celsit. Princeps AVGVSTE, parentis christianissimi & dilectissimi sanctissimæ & beatissimæ recordationis, publicè innotuit. Nihil enim prius, nihilq; antiquius sibi esse ducebat, quàm ut in hac schola & in curiæ Scabinatus, consistorijq; collegijs sacratissimarum Legum ratio haberetur maxima, simulq; ex æquo & subditis & exteris petentibus jus diceretur, & justitia administraretur. Quam ad rem exemplo patris AVGVSTI ex omnibus ditionibus suis viros inquirebat, & exoptabat graves, cordatos, prudentes et exercitatos: quibus etiam pro divina sua sapientia statuta præscribebat sententiarum

& judiciorum quàm dexterrimè & expeditissimè ferendorũ. Dicasterij nostri, ut & Lipsensis, Assessoribus Elector AVGVSTVS *quæstionum gravium & in jure omnium maximè controversarum, de quibus inter ipsos non satis conveniebat decisiones multas diu a viris multa doctrina, & plurimo rerum usu præditis, qui omnes, præter* Abrahamum Bockium *Illustrissimi nostri Electoris Consiliarium intimum, amicum & fautorem nostrum singularem, inter homines esse desierunt, Misenæ deliberatas & scripto publico comprehensas præscripserat, ita, ut expediendi negotia etiam summa ipsis esset non difficiles Ipsi verò Assessores & Doctores non habebant leges & regulas, quibus in congressibus instituendis, in forma suffragiorum & aliis uterentur. Illo AVGVSTI instituto, nihil quidem sapientius, & ob id ab omnibus summoperè commendatur, nec unquam in oblivionem veniet. Sed cum sine legibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec humanum genus universum stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus possit, perneccessarium erat, ut dictis legibus & regulis Collegium nostrum administraretur. Anno igitur supra sesquimillesimum & octuagesimum octavo effecit* CHRISTIANVS, *ut jus secundum leges diceretur. Certum enim determinavit respondentium de jure numerum, eosq́ juramento peculiari voluit constringi, horas congressuum designavit, ne vel peregrini cum damno diutius eorum sententias expectare cogerentur, ne item operæ prælectionum impedirentur. Imò cùm à condita Academia dicasterij locus certus nostris nondum fuisset datus, hac quoque in parte munifici principis officio fungi, voluit, & ut ipsius celsitudini locus, quem exornaret, indicaretur, seriò mandavit. Sed præmatura morte prævenius in eo impeditus est. Ob quam causam* FRIDERICVS VVILHELMVS *dux laudatissimus sub administratione sua hoc in effectum deduxit,*

qui etiam potestatem pronunciandi in capitalibus negotiis antea nonnihil constrictam nostris restituit. Prædicabunt certè posteri & quidem ipsi artifices inter alias hanc quoque sanctionem, qua jubebat, neminem in una eademq; causa simul judicandi & consultandi partes in se suscipere debere, sed si sententia dicenda esset in causa, in quâ quis consilium uni ex litigatoribus suggessit, ut à judicando abstineret, & reliquis collegis libera vota relinqueret: Item in respondendo de jure nunquam solummodò opinionum præsertim promiscuarum auctoritatem esse sequendam, sed ut quilibet ex conscientia, summo artifice dignam, & verè cum lapide Lydio conferendam, Deum omnipotentem timente, diceret sententiam, quam rationibus optimis ex lege Dei, & doctrina de moribus desumptis & ex textibus positivi juris expressis vel ex auctoritatibus Doctorum probatissimorum luculenter confirmare & stabilire posset. Quid gravius à principe decerni potuisset? primò ne quis in una eademq; causa consultoris & judicis munere fungatur. Hoc enim qui facit, bonam conscientiam & famam antefert turpi & impio quæstui, & eam ob causam nostri, eum pœna infamiæ, privationis beneficiorum & amissionis dignitatis puniendum esse, scribunt. Deinde rationum momenta in judiciis esse inquirenda, & ex Legum præscripto sententias concipiendas: demum his deficientibus, Doctorum auctoritates in consilium adhibendas & eam opinionem, quam hominum peritorum & graviorum usus approbavit, retinendam. Hinc gravissimè Cicero inquit lib. 1. de natura Deorum: Non tàm auctoritas in disputando, quàm rationum momenta quærenda sunt. Etenim hæc sua vi & natura plus artis & ponderis ad arguendum habent, quàm argumentum, quod Græci ἄπεχνον appellant, quodq; ex alicuius personæ humanæ affirmatione aut negatione rem propositam arguit & ostendit.

Sub his igitur principibus laudatissimis juridicæ facultati in hac Academia operam docendo & scribendo navarunt egregiam præter quosdam antea nominatos, nempe, D. Laurentium Lindeman, & D. Iohannem Snedevin, D. Ioachimus à Beust, D. Michael Teuberus, D. Christophorus Arnd, *magnum item illud juris Oraculum & principum & rerumpubl. quasi commune quoddam δικαστήριον & Consistorium*, D. Matthæus *inquam* VVesenbecius, *ingenij acumine & monumentorum celeberrimorum fama ad veterum laudatissimorum Iureconsultorum laudem quàm proximè accedens, nec non alij, partim in militiâ sua in his terris defuncti, partim adhuc in terra viventium IVSTITIAM egregiè exornantes, de quorum doctrina & meritis tùm angustia temporis tùm superstitum ipsorum modestia, me dicere non patitur, & idoneos virtutum præcones absque dubio apud posteros nostros sine affectibus judicaturos ipsi reperient. Illud etiam gratæ mentis pietas me silentio præterire prohibet, quod ad AVGVSTI Electoris clementissimam erga Doctores nostros voluntatem indicandam pertinet. Vt enim interpretationi & explicationi Legum, atque adeò præparationi & informationi juventutis ad Rempub. felicius gubernandam Doctores magis assiduè incumberent, neque peregrinationibus, praxeos causa instructis, ab ordinariis operis avocarentur, anno Christi supra sesquimillesimum sexagesimo quinto in annuorum stipendiorum argumentum una vice sexcentes florenos consecravit. Adjecisset δεύτερον suum μέρος CHRISTIANVS primus Elector in his, si fata vitam prolixiorem concessissent. Exemplo enim majorum omni virtute excellentissimorum unicè hoc agebat, ut jus doceretur à doctis & peritis, ut Iureconsulti non in theorea hærerent, sed ad praxin assurgerent, inq; ea excellere conarentur, ut denique in Academiis reperiret, quos tanquam*

exercitatos & peritos ad gubernationem aulæ more majorum suorum vocare & in consilium adhibere posset. Video vos (quoniam vobis jam loqui non licet) tacitè rogare, An CHRISTIANVS pater Tuæ Cels: Princeps AVGVSTE, solus extiterit, qui reverâ Academiam muneratus non est? Non dubito plurimos esse, qui hoc affirmare audent vel cogitant. Verum qui ita statuunt, qui ita cogitant, à veritate sunt alienissimi. CHRISTIANVS Elector verè Christianus suã erga hanc Academiam Clementissimæ voluntatis affectionem abundè declaravit. Vobis enim, patres conscripti, notum & exploratum est, quem cumulum adjecerit stipendiis Theologicis, Medicis & Philosophicis, quibus olim alebantur vestri antecessores. Non né utramq; domum, tùm quæ Augustinianorum cœnobium, tùm quæ Augusti collegium vocatur, & vix duodecies millibus aureorũ partim coemta: partim extructa ab Augusto fuit, Academiæ donavit. Nonnè mille florenos deputavit in usum Oeconomiæ, ut paratam pecuniam Oeconomus pro grandi bonum summa, cum bona feret occasio, aut pro aliis necessarijs quovis tempore numerare posset? Certè ita est, & nisi dictum cumulum adjecisset & hoc beneficium Oeconomiæ contulisset clementissimus Elector, credite mihi, multoties hac in parte quidam professores, quibus tenuiores opes sunt, & pauperes Scholastici multas & magnas difficultates experirentur, propterea, quod annuatim carnium, lignorum, leguminum & aliarum rerum necessariarũ precium crescat. Quod autem adhuc longè ampliorem pecuniæ vim in Academiæ nostræ magis exornandæ usus assignare voluerit multorum testimoniis confirmatur. Sed quod ipse morte inopinata præventus expedire non potuit, hoc tota Academia à clementissimo nostro Elector CHRISTIANO II. expectabit, qui hac in parte jam modò suum ita facere cæpit officium, ut omnes etiam nunc à DEO vitam,

valetu-

valetudinem gubernationemq́ prosperrimam ipsi toto pectore precentur, & olim heroicas ipsius virtutes maximis laudibus sint persecuturi.

Habes, Concio inclyta, historiam de initio & incrementis studiorum juris in hac Academia sub Electoribus Saxoniæ sex Illustrissimis: & de eorum beneficiis, cùm in facultatem juridicam, tùm in totam Academiam collatis, brevem & simplicem: & ex nostrorum publicè prostantibus opusculis & ex manuscriptis adhuc reliquis bona fide collectam.

Historicorum & politicorum edocemur regulis, Respublicas vel decrevisse vel prorsus corruisse, quoties sapientibus & fortibus regibus degeneres & ignavi successerint. Quantum enim sub Romulo nihil nisi bella spirante, politia Romana creverat, tantum sub successore Numa Pompilio de bellicis exercitiis quàm plurima remittente, decrevit, donec Tullius Hostilius, Romulo in severitate & virtute bellica similimus, effœminatos sub Numa factos cives, excusitavit. Atq́ nisi post expulsos reges ignavos & luxuriosos subinde & semper virtute, fortitudineq́ præstantes consules electi prodiissent, vel ipsa urbs vicinis regionibus præda facilimè fieri potuisset. Vice versa cum duorum excellentium regum in Græcia Philippi & Alexandri Magni continuata successio multum emolumenti ad efficiendam Græcorum Monarchiam attulerit, utiq́ etiã tot prudẽtum consulum Romanorum perpetuata Electio Romanæ Monarchiæ constituendæ unicè profuit. Eadem ratione cum altius rem perpenderimus, quàm egregijs successibus hoc primo centenario in hac schola Imperatorum & aliæ leges explicatæ & illustratæ fuerint, non in infima parte, post DEVM felicitatis istius suæ, ponendum nobis esse apparebit illud, quod continuatam

habuerit Electorum sex, non fucata pietate, heroica prudentia, studio juvandi politias divino, mutuò certantium successionem & patrocinium.

Propter hospitalitatem, quam olim AEgyptii præstiterunt Israelitis, tertiam progeniem ab AEgyptiis descendentem in civitatem recipi posse DEVS per prophetam Mosen affirmat, cum Moabitarum & Ammonitarum hospitij jus denegantium, ne decima quidem progenies suscipi posset. Eodem pacto pro maximis meritis, quibus hoc centenario sex illustrissimi ELECTORES SAXONIAE & FRIDERICVS VVILHELMVS tutorio & administratorio nomine Religionem, Iura & Musas sibi obstrinxerunt, & ipsi in Domum Domini seu ad veram Dei agnitionem pervenerunt, posteri quoque ipsorum in aterna tabernacula recipientur, largissimisq; benedictionibus cumulabuntur.

Omnium poëtarum princeps Homerus singulis benefactoribus suis in carmine gratias retulit memorabiles. Mentem Leucadium mercatorem, cujus liberalitate peregrinationem confecerat, in odyssea regem Taphiorum, teste patre Historiæ, introducit: Mentora Ithacensem hospitem aliquando suum, cum Ithacæ ex oculis laboraret, finxit socium Vlyssis, cuius tanquam viri æquissimi Vlysses Trojam navigans, familiam, domumq; totam commiserit. Phæmium præceptorem & nutricium suum in odyssea facit Musicum & poëtam præstantissimum, qui Penelopes castum animum versibus sanctis & castis in officio contineat. Tychium coriarium, hospitem suum ad novum nurum in Iliade Ajacis scutum ex corio conficere scribit. Si licet hæc minima & ex parte fictitia cum maximis nostris comparare, utiq;, quemadmodum hactenus innumeri pietate & doctrina excellentes per totam Germaniam viri facere non potuerunt, quin singulorum Electorum singulas res in

Ecclesia & politia præclare gestas variis modis decantarint: ita deinceps quoque apud totam & gratam posteritatem nunquam deerunt, quibus non tàm cara salus sua erit, quàm pietas & studium in simili gratia referenda jucundissimum & promptissimum, sicq; ô domus Saxonica & sedes Electoralis DEO & Musis gratissima tùm in hac, tùm in altera illa æterna vita semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt. Ego quoq; hoc die, omnium illorum, ad quos hoc centenario fructus aliquis quavis ratione ex legum nostrarũ auditorio VViteber. genſi pervenit, nomine, VOBIS, Illustrissimi & in Christo beatissimi Electores Saxoniæ, FRIDERICE, IOANNES, IOANNES FRIDERICE, MAVRICI, AVGVSTE, CHRISTIANE nec non FRIDERICE VVILHELME proelector, gratias nunc habeo quantas cogitatione assequi possum, (verba enim satis idonea pro gratiis agendis reperire nequeo) æternas & immensas, Deumq; ex intimis cordis mei penetralibus invoco ut tantam munificentiam, quemadmodum eam vobis, qui jam in beatissima requie estis constituti, Deumq; à facie ad faciem videtis in gaudio inexplicabili, & posteris vestris Illustrissimis in hac & altera vita benignissimè recompenset.

Cum vero, Dei beneficio centenarium schola nostra ingrediatur alterum, ut DEVS ipsi hunc quàm optimè vertat, & ut idem nobis, qui auctoritate publica jus præstemur, & de eo respondemus, & successoribus nostris, quàm fortunatissimus eveniat, omninò precibus serijs Deum implorare decet.

Eveniet autem & nobis, & successoribus nostris, si inimicorum, nos illos præeuntes & illi nos sequentes juxta Electoris AVGVSTI sanctionem mutua benevolentia & fide complexi fuerimus, si communi consensu in docendo interpretandoq; jure, ferendis sententijs, & conscribendis consiliis æqualem assiduitatem & diligentiam præstiterimus, dignam virisdoctis

& intelligentibus, si alter alterius admonitionẽ patienter & sine offensione acceperit si nemo se quæsiverit extra, ut Persius ait, si nullus contra alium conspiraverit, seu, ut cum Cicerone loquar, nullus in alios periculum intenderit. Hæc quæ posteriore loco posui, discordiam pariunt, quæ homines dementat, & ex una civitate duas facit: Illa concordiam inter pares conservant. Simus ergò pares & ob hoc concordes vivamus.

——————Nam nos

Et decor & cantus & amor sociavit & ætas.

Sic libet ad exemplum Titi Calphurnii poëtæ ad concordiam servandam me ipsum & collegas, quos charos habeo, adeoq; omnes, qui hoc altero centenario juridici collegii futuri sunt membra, exhortari.

Te, igitur, æterne pater Domini nostri IESV CHRISTI, cum coæterno Filio tuo, Domino nostro IESV CHRISTO, redituro cum inenarrabili Angelorum sanctorum, thronorum, dominationum, & potestatum multitudine, & gloria ad judicandum vivos & mortuos, Spiritus & homines, & cum coeterno Spiritu sancto intimis suspiriis supplex oro, ut hoc sequenti centenario, in hac vespera mundi, tibi semper inter nos colligas ecclesiam in his regionibus, conserves studia literarum, nec unquam sinas extingui artes ecclesiæ & communi vitæ utiles ac necessarias, reprimas immanes furores Diabolorum, tyrannorum & hæreticorum, inprimis verò pontificis Romani, & aliorum seditiosorum, quos non ad pacem colendam & fovendam, sed ad sanguinem nostrũ fundendũ & ad turbandum Imperium Spiritus mendacij & homicidij compellit, Ipse sis custos Legum, judiciorum & civilis societatis, adeoq; pacis religiosæ, qua hactenus cum bona gratia invictissimorum & pientissimorum Imperatorum & Ordinum Imperii quietè & tranquillè usi fruiti sumus, Depugnes pro Invictissimo &

Sereniſſimo Principe ac Domino, Domino RVDOLPHO jam Clavum Imperii tenente & Rempublicam laudabiliter & moderatè gubernante, Principe & Domino noſtro clementiſſimo adverſus crudelem ſuperbum q. adverſarium & totius orbis Chriſtiani hoſtem acerrimum Turcam, & Hungariam, & conſequenter Germaniam, dilectiſſimam noſtram Patriam ex totius belli ore & faucibus eripias & conſerves, protegas Illuſtriſſimam Saxonicorum Principum ſtirpem, tribuas ipſis gubernationem tranquillam, ac ſalutarem, concedas pacem neceſſariam culturæ ac propagationi doctrinæ, & diſciplinæ, nec avertas unquam à nobis faciem tuam induas inimicos noſtros confuſione, confundantur & convertantur retrorſum, qui volunt mala nobis, & quoniam elegiſti hanc urbem, ſit hic requies tua in ſeculum ſeculi, ut hic ſemper ſint, qui te Dominum laudent in ſanctis tuis, in virtutibus tuis, ſecundum multitudinem magnitudinis tuæ, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, & in hac & in altera vita in omnia ſecula ſeculorum.

DIXI.

DEI GRATIA

AUGUSTUS

DUX SAXONIÆ, LANDGRAVIUS THVRINGIAE, MARCHIO Miſniæ, &c. Rector Academiæ VVitebergenſis, Vniverſis ejuſdem Academiæ civibus clementiam & favorem.

QVandoquidem Illuſtriſsimo Principi & Electori CHRISTIANO II. Fratri noſtro dilectiſsimo, ita ab initio placuit, ut, quia feſtivitas Academiæ ſecularis & Iubilæa, uno & principali illo die Lucæ, qui Natalis erat huic Scholæ, pro dignitate celebrari non potuit, alii etiam extraordinarii dies aſſumerentur: Noſtræ pietatis in DEUM, & obſervantiæ in ſummum Magiſtratum eſſe duximus, negotium, ita ut cæptum & bonam partem hactenus actum eſt, porrò, quod in Nobis erit, peragere. Cùm igitur diebus proximè elapſis, quod ſcitis, Collegium Iuridicæ Facultatis partes ſuas habuerit: reliquum eſt, ut de ſententiâ Academici Senatûs, ſuas etiam habeat Medicorũ Collegium. Eiq; rei diem craſtinum ſolennem haberi voluimus quod & nunc omnibus, qui in hac Reipub. literariâ, ſub noſtro Magiſtratu vivi-

tis,

tis, publicè significamus: & mandamus, ut ad horam VIII. in templo Arcis frequentes comparea-tis. Præterquam enim, quòd DEO & vestræ ipsius saluti hanc pietatis operā debetis, nemini vestrûm debet esse dubium, quin ea sit auditurus, quorum memoria jucunda pariter & utilis sit futura. Partes n. Oratoris habebit Nobis singulariter dilectus, ANDREAS SCHATO, Doctor & Medicæ facultatis Senior, quoq; nemo eorum, qui hodie hîc vivunt, diutiùs in ordine & dignitate Professoriá vixit docuitq;. Neq; cuiquam otiosum videri potest spectaculum, quòd tertiá vice solēnitatem istam publicè instauramus, qui rationes nostras, quas aliquoties audivistis, pio candidoq; animo secum expenderit. Non ignoratis, quid error gentilium Romanorum olim in secularibus eiusmodi fecerit: quod tamen sub istâ pietatis opinione, mera fuit impietas. Primô quidem die (ut harum rerum scriptores memoriæ prodidêre,) Quindecim viri Capitolium manè ascendebant: ibiq; sacra de more faciebant. Tum in theatris conveniebant ad Ludos, in honorem Apollinis & Dianæ faciendos. Altero die nobiles matronæ conveniebant in Capitolium: supplicabant DEO: frequentabant lectisternia: canebant hymnos. Tertio de-

nique die, in templo Apollinis Palatini, ter noveni pueri prætextati, totidemq; puellæ, patrimi omnes & matrimi, Græcâ Romanâque voce Carmina & Pæanas concinebant: quibus & Imperium & incolumitatem populi diis commendabāt: aliaq; magnificè fiebant: quæ vobis & nota, & ab aliis per hoc tempus ex professo tractata sunt. Si igitur illi, qui extra civitatis Christianæ quasi pomærium fuêre, de astris suis tanto studio & magnificentiâ honorem toties instaurarunt, proq; beneficiis in Rempub. Romanam per seculum decursum (ut ipsi quidem opinabantur) præstitis, solenniter gratias egerunt: quis nobis vitio vertet, si vero & vivo & omnipotenti DEO, prō immenso illo beneficiorum cumulo, quo per hos cētum annos scholam nostram reverâ exaggeravit, non uno, sed altero, sed et tertio die in publicâ cōcione, devotâ pietate & Christianâ hilaritate solenniter gratias agamus? Quin agamus, optimi & pientissimi cives. Vos modò ad tempus præstitutum, locoq; dicto, eâ frequentiá, quâ huc usq; solebatis, convenite. P. P. Die XIV. Novembris, Anno Christiano

M. DC. II.

ORA-

ORATIO SECULARIS

In Academia VVitebergensi, Collegii Medici nomine, habita

Ab

ANDREA SCHATONE, ARTIS
Medicæ D. & Professore publ.

Anno Christi 1602. Mensis Novemb. die XV.

NEminem vestrum, Illustrissime Princeps, Dux AVGVSTE, RECTOR Magnificentissime, Domine Clementiss. Magnifice Domine PRORECTOR: Generosi Domini Barones: Viri Nobilissimi, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Prudentissimi: Tuq; ornatissima Studiosorum corona: Neminem, inquam, vestrum esse arbitror, qui ignoret, quæ superioribus diebus, solennibus quasi sacris, in tẽplis & scholis apud nos acta sint, publica eorum, qui præsunt voce, omniumq; ordinum lætitia & congratulatione. Cùm enim Dei clementissimi benignitate, una jã ἑκατονταετηρὶς, sive centum annorum periodus una cõpleta sit, à quo tempore Academia hæc, optimis auspicijs condita et inaugurata fuit, ab Illustrissimo Principe Electore, Duce Saxoniæ, Friderico III. qui ob singularem virtutem, autoritatem & prudentiam, Sapientis nomẽ meruit: nostri nimirum muneris est, quemq; suo loco, & quantum cujusq; fert facultas, tam illustre,

tamq́ immẽsum Dei beneficium, per Heroas Illustrissimos nobis præstitũ, grato animo agnoscere, & voce pia extollere ac prædicare. Solita fuit antiquitas, veri illa quidem Dei ignara, à religiosa tamen pietate non abhorrens, eorum memoriam præclaris monumẽtis institutisq́, ad omnem posteritatem commendare, à quibus, divina & immortalia beneficia accepisset. Vnde ludorum panegyricorum, & dierum festorum origo extitit, apud Græcos & Latinos: qui magnifico quodam apparatu, summam speciem & dignitatẽ habente, celebrabantur, eo fine & cõsilio, de quo diximus. Quantò magis nos, qui Christiani sumus, & qui, revelante Filio DEI, sapientiam didicimus, absconditam à seculis, id operam dare decet, ne ullo unquam tempore, oblivio nos capiat eorum, quæ commemoratione sempiterna digna, DEVS nobis singulariter præstitit præ alijs: néve eorum, per quos illa præstitit, nomen ex hominum memoria deleatur.

Erat seculo illo, quod hoc nostrum proximè antecessit, & pluribus retrò alijs, doctrina religionis Christianæ, densissimis errorum ac superstitionum tenebris involutæ: & mentes hominum miseræ, crudeli servitutis jugo pressæ, vagabãtur, sine certa cõsolatione, sine fide, sine spe: in templis denique, omnia ad turpem quæstum comparata erant, ita, ut auro nihil non venale esset, etiam cœlum ipsum, & quæ in cœlo tandem à beatis possidentur, bona universa. Tam ergo afflicto, tamq́ perdito statu, cùm esset res divina: DEVS misertus eius calamitatis, opem tulit Ecclesiæ, & excitato divino viro, Martino Luthero, eodemq́ Spiritus sancti donis largissimè instructo, veram Evangelij doctrinam, discussis tenebris, in hãc clarissimam lucem nobis collocavit, quâ DEI beneficio, hodierno die fruimur.

Qua verò occasione, illa lucis divinæ restitutio cæperit, quas progressiones habuerit, quãtis periculis & difficultatibus fuerit

obiecta

obiecta, quàm illustribus præsentiæ et auxilij divini testimonijs ornata & confirmata: id oratione persequi, neq; temporis huius est, neq; nostri instituti, addo, neq; nostrarum virium. Et sunt, qui ante me, in hoc argumento tractando occupati fuêre, viri eruditione, sapientia & eloquentia præstantes, cum quibus ego me non comparo: ut proinde actum agere velle, aut minus ornatè, minusq; commodè, illud agere, alienum prorsus & ineptum futurum sit. Itaq; intra terminos professionis nostræ, quæ Medica est, nos continebimus: quod item à cæterarum disciplinarum Professoribus ferè factitatum esse, vidimus.

Ac de initijs & incrementis studij medici in hac Academia, quemadmodum illud, pia cura & liberali munificentia laudatiß: principum Electorum Saxoniæ, incoatum, promotum, & amplificatum fuerit: deq; eius, per decursum hoc seculum, fideli primorum & præcipuorum virorum opera, ad nos propagatione, aliquid in medium afferam, quantum quidem sciam poteroq;, ut vetus formula habet; & quantum annalium nostrorum monumenta, ad rem præsentem suppeditaverint.

Vos, ut de proposito argumento, me, cui personam hanc autoritate publica impositam esse scitis, verba facientem, clemẽter & benignè audiatis: debita animi subiectione, reverentia, & humanitate, peto. Dabo enim operam, ut brevitate orationis, audiendi fastidium vobis leniatur.

Conciderant penè in Germania, (cur enim nõ repetam, quod ad tanti beneficij memoriã, animum subinde revocat?) simul cũ obscurata luce Evangelij, linguarũ ac disciplinarũ studia, Ecclesiæ & Reipub. necessaria, ita, ut discendi cupidi, magnis sumtibus, sæpè etiam periculo non minimo, peregrinas terras adire cogerentur. Ei rei, ut medicinam afferrent Electores imperij, (siquidem hãc curam excitandi literarum studia, nõ minus ad se pertinere existimabãt, quàm tuendi amplificandiq; dignita-

tem Imperij Romani) decretũ fecerunt in comitijs, VVormaciæ anno Christi milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo quinto celebratis, Imperatore Maximiliano I. ut unuſquiſq; ex ipſorũ numero, Academiam in ſua ditione cõſtitueret, & viris doctis ornaret atq; inſtrueret. Ad quod cõſilium capiendum, & exemplo ipſis præivit ſapientiſſimus Imperator, qui eruditorum conſuetudine plurimùm delectabatur: & Academiam Viennenſem, tunc etiam nonnihil labentem, per viros, in omni diſciplirũ genere clariſſimos, fulciebat & inſtaurabat. Reverſus itaq; domũ princeps Elector, annos aliquot, omni cura & cogitatione incũbit, ad extruendam in hiſce provinciis, Scholam publicam. Atq; hanc ad rem cumprimis opera & conſilio utitur Martini Polichij, Mellerſtadij, Franci: cuius integritatem, fidem & prudentiã, tum domi expertus fuerat, tum in peregrinatione quoque, religionis ergò (ut erat temporum illorum ſuperſtitio) in Palæſtinam ſuſcepta, anno Chriſti milleſimo, quadringẽteſimo, nonageſimo tertio. Excelluit vir ille anteà Philoſophiæ & artis Medicæ profeſſione, in Academia Lipſica, ubi & Medicinæ Doctor renũciatus fuit. Cumq; commota ibi eſſet diſputatio de lue venerea, ſeu de morbo, ut appellatur, Gallico: utrum ἐπιδήμιος ille eſſet, an ἐνδήμιος (recens verò illis tẽporibus, ex Africa, contagione in Europam propagatus fuerat) diſſenſio inter ipſum et collegas extitit. In quibus Simon Piſtorius eminuit, natus in celebri familia, Lipſiæ, unus & ipſe ex præſtantiſſimis eius ætatis medicis: quæ familia, ab eo tempore, & Iuriſconſultos aliquot celeberrimos, dedit Germaniæ. Ita factum fuit, ut Piſtorius ad Electorem Brandeburgenſem, in vicinam Marchiam. Mellerſtadius, in aulam Ducis Saxoniæ, Friderici Electoris evocaretur. Hic ergo eſt, qui conſilia ſapientiſſimi principis, & excitavit & adjuvit, ad Academiæ huius extructionem. Cùm enim initia eius, illatis variis, ut fieri cum rebus bonis ſolet, impedi-

pedimentis, tardius procederent : ipse tum animum principis confirmavit, tum de loco Academiæ, in hoc oppido, optimè ominatus est, quod omen & verissimo eventu Deus comprobavit: etsi eventus illius spectatorem esse, Polichio non contigit, ut postea dicemus. Exemplum autem Polichij, ut apparet, secutus fuit eius quondam Collega Pistorius, qui & ipse suo Principi auctor & adjutor fuit, condendæ Academiæ Francofurtensis ad Oderam, quæ triennio & semestri, post nostram cæpit, anno Christi 1506, mensis Aprilis die 27. Rectore primo, Conrado Vimpina, ut accepimus. Atq; ita hi duo Medici, de hisce terris præclarissimè meriti sunt, DEO rem clementer sic gubernante, ut quam jacturam, discessu ipsorum fecerat Academia Lipsica, ea in alijs duabus, eorundem studio & opera nuper excitatis, abundè ad posteritatem compensaretur. Sed ut ad Mellerstadium redeamus, cùm principi Friderico Electori, annos aliquot fideliter serviisset in aula, & Scholæ huius fundamenta jacta essent: ipse ad conficienda cætera, & ad docendam artem medicam, huc missus est. Existimavit enim sapientissimus Princeps, Gymnasium hoc suum, ut nominabat, numeris omnib. perfectũ absolutumq; non fore, nisi ad reliquarum doctrinarũ Professores, Collegium quoq; medicorũ adjungeret. Quippe, cùm palàm sit, medicum ad omnes totius civitatis ordines, sexum, ætatem pertinere: quãdoquidem homines principes, plebejos: viros, fœminas: senes, pueros, ægrotare contingat, ad quos universos sine discrimine, utilitas à medico redeat, qui propterea rectè Res cõmunis, vel κοινὸν ἀγαθὸν appelletur: & priscos illos Medicos, meritò ob admirandam artis utilitatem, uno omnium consensu, in Deorum numerum relatos fuisse: & quæ huius generis alia, pro commendatione artis medicæ, in proœmio nostrorũ statutorum, graviter & verè dicuntur. Ita professio medica Doctori Mellerstadio cõmẽdata fuit, quàm summa diligentia ac fide obivit,

annos aliquot: etsi postea alij accesserunt, qui extra Professorum numerum, eius in hac arte propaganda, studium & labores egregiè juverunt, sicut deinceps manifestum erit.

Vt autem memoria meritorum eius viri, erga nascentem primùm, deinde adolescẽtem hanc Academiam: ad posteros extaret: primus eius Rector constitutus fuit, principemq; in hac locũ quoad vixit, obtinuit. Idem ille, primus in Album Academiæ ascriptus fuit, & ab hoc dein Professores cæteri. Ac ita præclara sese dederũt Academiæ initia, ut primo illo semestri, sub eiq; Rectoratu, numero fuerint quadringenti sedecim, quorũ nomina in Catalogum Scholasticorũ recepta sunt, confluentibus undiq; doctrinarum studiosis, ex peregrinis etiam et longinquis regionibus. Tum verò, & primus Mellerstadius fuit, cui Doctoris in Sacra Theologia titulus & insignia hîc sunt tributa. Erat.n. ea ætate, cùm literæ primùm in lucem revocarentur, tantus impetus animi ad studia, tãta discendi cupiditas: ut exsaturari illa vix posse videretur. Quare viri ingenio præstantes, & ipsi hoc egerant, ut in pluribus simul disciplinis excellerent: & alijs, exemplum præclarum ad imitandum, reliquerunt.

Quod verò in Scholis benè constitutis fieri solet ac debet, ut nõ solùm salutaris necessariaq; doctrina auditorib. tradatur: sed etiã testimonia publica, secundum gradus honorum, autoritate publica, ijs impertiantur, qui operæ precium discendo fecerunt: id utrumq;, sub incunabula Academiæ, observatum fuisse constat. Non longo enim ab inauguratione Scholæ, temporis intervallo, à Martino Mellerstadio, Philosophiæ, Medicinæ, & Theologiæ Doctore, Bernhardus Schiller, artium & Philosophiæ Magister, primus omnium (nemo enim ante ipsum, in aliqua Facultate huius Academiæ, gradum assecutus erat) in Doctorem Medicinæ promotus est: factus postea Ordinarius Medicinæ Professor, in Friburgensi Brisgoiæ Gymnasio.

Sicut autem Mellerſtadius noſter, quandiu vitam vixit in hac Academia, ei labores & operas ſuas univerſas impendit: ita poſt mortem, facultatum quoq; eius pars magna, ad eandem rediit. Nam frater Valentinus Polichius, ut grata Martini memoria apud nos retineretur: facto teſtamento, mille aureos, quorũ pars maxima, hæreditate ipſi à fratre venerat, hîc collocari juſſit, de quorum fructibus annuis, ſubſidia ferantur adoleſcẽtibus ex Polichiorum familia aut alijs etiam, ſtudiorum cauſa in hac Academia verſantibus. Quo memorabili pietatis & beneficentiæ exemplo, plures alij ex Medicorum ordine adducti, partem non exiguam ſuorum bonorum, atq; de his uſumfructum, Scholaſticis certis in hac Schola legârunt: atq; ita, tum ſtudia literarum egregiè adjuverunt, tum nomen ſuum ſempiternæ hominum memoriæ commendârunt.

Cæterum, quod divino inſtinctu, omen opt. atq; optatiſſimũ habuiſſe Mellerſtadium, ſuprà diximus, fore, ut condita in hoc oppido Academia, cunctas alias Germaniæ, luce ſua obſcuret: id etſi verum & ratum fuit, ſicut Dei beneficio palam eſt ante omnium oculos: tamen eam lucem, quam hinc effulſuram orbi terrarum prædixerat, ipſe non vidit. Deceſſit enim anno Chriſti, ſupra milleſimum quingenteſimum, decimo tertio, quadriennio ſcilicet, ante illud tempus, quo reverendus vir Doctor Martinus Lutherus, fulmine veritatis Evangelicæ, labefactare & proſternere cæpit, in magna orbis Chriſtiani parte univerſum illud horrendarum tenebrarum, & idolomaniæ regnum, quod à Romanis Pontificibus, in Eccleſia, per vim & fraudem, occupatum & conſtitutum fuerat.

Meritò ergò ad omnem poſteritatẽ celebratur ſingularis pietas, ſapientia, bonitas & benignitas Illuſtriſſimi Principis Friderici, architecti quaſi hujus Academiæ: quòd ſtudia doctrinarum, in his terris penè emortua, in vitam revocavit, autore ſe-

cundùm Deum, & administratore, Martino illo Mellestadio; de quo hæc hactenus commemoravimus.

A Rectore, & Medico primo Academiæ, proximè reperimus asscriptum in fastis nostris, nomen Doctoris Bel, Equitis aurati, Ordinarij V Vitebergensis. Quo Decano, Eberhardus Bel, filius, Doctor Medicinæ, publico actu creatus & renunciatus est, A. C. 1504. Neq; de viro illo præcipuo, aliud quicquam nobis cognitum est: nisi, quod de exemplo hoc apparet, ex nobilissimis etiam familiis, id temporis fuisse nonnullos, qui nomen suũ, cognitione & professione artis Medicæ, illustrius ac celebratius reddere conarentur: quod & summos olim Reges ac Principes Chironem, Achillem, Alexandrum M., & alios fecisse, literis traditũ est. Et de Friderico III. Electore Academiæ, legimus: quòd studiosè didicerit à Mellerstadio & alijs, artis Medicæ fontes causas morborum, & remedia: multa etiã experta, à Maximiliano Imperatore, et ab eius Medicis acceperit, quæ adhibita, præsens auxilium ægris attulerint. Sed de his non plura.

Sequentibus annis, cùm artem hîc doceret Simon Sthenius, Penicensis, Misnicus, in cæteris, qui titulum & insignia Doctorum Medicinæ, ipso cõferente, adepti sunt, insignes maximè fuerunt; Thomas Eschaus, Pontificij Iuris Baccalaureus, cuius nomen inter Professores Academiæ publicos, reperitur, ad annum supra sesquimillesimum, tricesimum quartum, de quo & postea mentio fiet: & Martinus Berger, cuius vidua quingentos aureos legavit Academiæ, eo pietatis studio, coq; fine, ut supra de Polichij testamento meminimus.

Quod autem hosti Dei ac hominum, Diabolo, honestiq; omnis ordinis ac societatis turbatori, solenne est, & summæ semper voluptati: non diu Scholam hanc in lato & tranquillo statu consistere permisit: sed veritus eam cladem, quam ex hac ipsa, regnum ipsius accepturum esset, id magna cum cura & diligẽ-

ia egit, quomodo illam aut dirueret & everteret: aut si minus id posset, labem saltem ei quandam aspergeret, qua in odiũ atq; invidiam, apud bonos & veritatis amantes adduceretur. Neq; hîc commemorabo, quid anno ab exordio Academiæ, decimo, illo ipso homicida autore, contigerit: de quo occasio dicendi nũc daretur, in Medicorum, quos Academia tulit, enumeratione. Rectius illa silentur, quæ funestum & ominosum quid complectuntur: & sub auspicia rerum bonarum, δυσφημῶν, bonos non decet. Hoc quidem certè manifestum est, pestilentiâ aliquoties hanc Scholam disiectam fuisse, & translatam in alia loca: semel & bello. Vbi tamen semper, singulari Dei benignitate, & Illustrissimorũ principum Electorum paterna cura, collecta iterum, in statu tranquillo collocata fuit: qui clementissimus Deus, deinceps quoque eandem, & nos in ipsa, tuebitur & conservabit. Pergemus ad alia.

Erat inter cætera quæ ad Collegium Medicum pertinebant, hoc etiã legibus ab initio constitutum, ut DEOS quasi tutelares agnosceret & coleret, Divos, Cosmam & Damianum: (ita superstitio, quæ religionem falsò imitatur, hominũ animos tum occupaverat) quorum Divorum dies anniversarius, in 27. mẽsis Septembris incidit. Præceptum insuper, ut dies ille quotannis in honore esset cõmunitati medicorum, quo festum, solẽni ritu, patronorũ horum nomine, celebraretur invitatis ad hoc, Rectore, & cæteris Academiæ Professoribus, ne quid ad splendorem & dignitatem summam sacris ijs deesset in qua etiam festivitate, proximum à Rectore locum, princeps Decano & collegio Medico clementer attribuit. Atq; hac religiosi cultus opinione, factum arbitror, ut horum, quales putabantur, Divorum imagines sigillo insculperentur, quod publicum Collegio nostro donatum est Fuerunt autem, ut fertur, Cosmas & Damianus, germani fratres, nati in Arabia, matre pia & religiosa, Theodora.

Cumq́ artem medicam didicissent: ita mirando sanitatis dono, à Spiritu sancto instructos fuisse aiunt, ut nullum morbi genus tam grave esset tam periculosum aut desperatum, quod adhibitis præsidijs, ij non curarent; & quidem sine precio, quo ipso, donum illud in se auctius illustriusq; reddiderunt. Quàm verò doctrinam Christianam, à matre acceperāt: eam constanter professi sunt, sub Diocletiano, crudelissimo Tyranno, circa annum Christi trecentesimum. Cùm enim Dijs Imperatoris, immolare nollent: varijs, ijsq́ dirus tormentorum generibus, prius à Lysia Proconsule excruciati, tandem securi, unâ cùm tribus alijs fratribus suis, & ipsis medicis, percussi sunt, atq; ita in Martyrum numerū cooptati. Pro horum ergò medicorum et martyrum honore & cultu, Missa solennis celebrata fuit, anno salutis 1519. in æde arcis: curante hanc rem, ut videbatur, sacram, Decano, Thoma Eschaus, quem supra nominavimus. Interfuit solennitati Illustrissimus Princeps Barnimus, Dux Pomeraniæ, Academiæ eo tempore Rector: cuius illustrissimâ præsentia, magnū decus & ornamentum illi actui tunc accessit. Caperat biennio antè, Lutherus purgare doctrinam cœlestem, à sordibus Pontificijs, oppugnando primò forum turpissimarum Indulgentiarū, apertum à Tecelio. Ibi, etsi nonnulli enascentē in Ecclesia, è caligine superiorum temporū, lucem Evangelij, summo desiderio ac gaudio aspicere gestirent: tamē plures alij fuerūt, in quorum animis, tetrarū superstitionum chaos ita altè radices egerat, ut nulla vi labefactari, nullo modo inde erui posset. Multi ergo tūc in Academia, viri pij atq; eruditi, cupidissimè amplexi sunt accensam illam doctrinæ lucem, seq́ cum rectè sentiētibus conjunxerunt. Qui verò in Collegiata Ecclesia, ad ædem arcis Canonici erant, & Professorum simul munere in Academia fungebantur: ij diutius sese Luthero opposuerunt, et fraternè atq; amicè aliquoties admoniti, tamen restiterunt, suasq; ceremonias, ab

Evangelij veritate longissimè remotas, retinuerũt: ubi & sacra illa, pro inveterata apud ipsos superstitione, ne cessisse viderentur, Patronis Medicorum facta fuisse, consentaneum est. Tãdem tamen, cùm jubar veræ doctrinæ, ita oculos & animos ipsorum feriret, ut errores & idololatriam, in qua immersi erant, agnoscerent: communicato cum nonnullis ex Academia consilio, dogmata illa, sacræ scripturæ adversa, & ritus superstitiosos ac profanos, è suo etiam templo ejecerunt, & cum sanis Doctoribus sentire inceperunt, octavo demum anno, post primam Evangelij restitutionem. Tanta vis est veritatis, quæ semel in lucem prolata facilè se per seipsam, contra omnem falsitatem & Sophisticam, defendit.

Fuit & Petrus de Burchardis, Ingolstadiensis, Medicinæ Ordinarius, unus è primis in hac Academia professoribus: cuius commentaria extant, in parvam tabellam Hippocratis, quæ sexti Epidemiorum pars est, brevia illa quidem sed erudita, & rerum pondere ampla. Agit enim in eo libello Hippocratis, de morbis quibusdam Epidemiis, & de Diæta in his instituenda. peculiares item quasdam malas affectiones exponit, quæ rarius alioquin corporibus accidunt: quarum omnium cognitio, studioso artis medicæ, plurimum utilitatis adfert. Inscripta sunt commentaria illa Friderico Electori, anno Christi 1518. quæ vir omni laude præstantissimus, Philippus Melanthon, postquam recens in Academiam, ad docendas Græcas literas accesserat, tùm soluta oratione, in vestibulo Lectori commendavit, tùm carmine Phalæcio egregio.

Hoc Petro, Decano, anno salutis humanæ supra sesquimillesimum, vigesimo primo, Doctor Medicinæ renunciatus fuit Augustinus Schurfius, natus patre medico, in oppido S. Galli, Helvetiorum: cuius nomen sicut & fratris Hieronymi, Iurisconsulti, celebre est in his regionibus, ac in terris aliis. Et in

oppido hoc, familiæ adhuc sunt honestæ ac honoratæ, quæ Schurstios cognatione attingunt; affinitatisq; vinculis, cum viris, doctrina, virtute ac dignitate præcellentibus, sunt coniunctæ. Ipsam quoq; Schurstiorum familiam, antiquam esse in Helvetia: tùm aliis testimoniis planum est, tum hoc etiam, quòd in Synodo Constantiensi, ante annos 188. celebratâ, mentio fit cuiusdam Doctoris Schurstij, qui inter delectos Germanicæ nationis, ad præcipuas illo tempore deliberationes, adhibitus fuit. Ex eius Schola medica, prodierunt viri, doctrinâ & honoribus aucti, non pauci. Georgius Sturziades, cui sub tempus illud renascentis literaturæ, amicitia præcipua fuit, cum Eobano Hesso, Ioachimo Camerario, Euricio cordo, Antonio Nigro, Poëtis, Philosophis & Medicis eximiis: quod mutuæ literæ, elegantissermonæ perscriptæ, testantur. Ioannes Magenbuchius, cuius compositiones quædam Medicæ, & antidota usu comprobata, habentur in officinis Pharmacopolarum multis Germaniæ. Ianus Cornarius, qui singulari studio & opera conversum in latinam linguam, nobis reliquit Parentem Medicinæ, Hippocratem: Dioscoridem item, & Aëtium, & ex Galeni operibus, permulta. Vetus AEmilij Macri de virtutibus herbarum poëma, integritati restituit, scholijsq; illustravit. Tum & ipse, eruditè quædam scripsit, quæ à doctis amantur & leguntur. Henricus Stackmannus, cuius nomen nosci cæpit in Academia, anno supra sesquimillesimum, decimo octavo: & qui adiunctus postea Collegio Medico, eius operas cum docendo, honoresq; Scholasticos dignis contribuendo, tum medicando, annos aliquot adjuvit. Conradus Pirkhaimerus, agnatus Bilibaldi illius, viri celeberrimi, patriciâ gente, Noribergæ nati: qui monumenta nobis reliquit, in omni disciplinarum genere præclara, historica inprimis, & mathematica: & conversos è græco in latinum, autores quosdam veteres & præcipuos.

Com-

Commemorarem plures, ex hoc ordine viros, ingenio & rerum usu excellentes: nisi mihi, non tam copiam, quàm modũ in dicendo quærendum esse, scirem. Vt autem ad Schurfium nostrum revertamur, unum de eo prætereundũ non est, quod singularem hominis diligentiam & industriam, ea ætate, in juvando studio medico demõstrat, consignatũ accuratè in nostris annalibus. Est Anatome seu dissectio artificiosa corporis humani pars medicinæ admodum necessaria & utilis. Ea in omnibus ferè Germaniæ Scholis neglecta superioribus temporibus jacebat, quòd idoneum scriptum, de quo auditoribus doctrina illa proponeretur, non extaret. Galenica enim, nimis latè fusa ac dispersa sunt, & ad bestiarum, imprimis simiarum corpora, magis accommodata. Mundini verò, quæ in manibus erãt, & in hac Iacobi Carpi & Alexandri Achillini, Bononiensium, annotata: ea, pro temporis injuriâ, manca erant & obscura, alicubi & à veritate aliena. Multis enim pòst annis, divinum opus Andreæ Vesalij Bruxellensis in lucẽ editũ est, qui rẽ ad eã perfectionẽ deduxit, quæ in hominẽ cadere posse videtur. Etsi reperti etiam sunt, qui εβελίζειν quædã in hoc opere nõ dubitârunt; conatu nõ æquè omnes felici: quod tamen non, nisi cum honorifica præfatione fecerunt, agnoscentes, ut viri ingenui & modesti, quod res est, difficilius esse, invenire, quàm invẽtis addere: et de fundamentis ædificium extruere, quàm summũ ei fastigiũ imponere. In illis igitur tenebris, destitutus necessarijs adminiculis Augustinus; tamen manũ operi admovit, et anno Christi supra sesquimillesimum, vicesimo sexto, mẽsis Iulij die 19, anatomen capitis humani publicã instituit: cùm per temporis incõmmoditatem, ulterius progredi tum non liceret: eamq; cum spectantiũ omnium studio et approbatione absolvit. Neq; dubium est, quin commodioribus alijs temporibus, plura in hoc genere spectacula dederit, de quibus non parum fructus & emolumẽti ad studiosos,

medicinæ inprimis, acceſſerit. Et ſuperioribus annis, fuerunt in hac Academia, viri doctrina & induſtria clari, partim vitæ piè functi partim adhuc ſuperſtites, qui nobis hoc ſtudium iterum excitârunt: quibus & gratia eo nomine debetur. Noſtrarumq; deinceps partium erit, idem illud, Deo operas gubernante, in Academia, tanquam artis præſidium non poſtremum, retinere: quo & abdita multa, in morbis, & horum curatione patefiunt: & animi non profani, in admirationem adducuntur immenſæ ſapientiæ & potentiæ divinæ, quæ in fabricatione hominis elucet. In quam conſiderationem & Galenus ingreſſus, libros ſuos aureos, de uſu partium corporis humani hoc epilogo claudit: ſe, quod Melicis ſeu Lyricis Poëtis in uſu ſit, ut ſtantes ante aras, poſt ſtrophen & ἀντίſtrophon in choris, ἐπῳδὸν tandem canant, hymnis Deos celebrantes: id ergo ſe quoq; in Operis illius libro poſtremo religioſè obſervaſſe. Etenim librum illum, tanquam ἀγαθὸν ἐπῳδὸν & Hymnum eſſe, nuncupatum DEO, unde, ſicut & ex toto Opere, ſapientiam DEI, in creatione hominis manifeſtò oſtenſam, diſcere poſſent, quibus hæc cognoſcere animus eſſet.

Perduximus ea, quæ de ſtudii Medici in hac Academia, initijs et progreſſionibus afferenda hoc loco putavimus, ad annum Chriſti milleſimũ quingenteſimum, triceſimum ſextum, qui annus fundatione, ut appellant, Academiæ, inſignis & memorabilis eſt. Cùm enim à Friderico Electore incoata eſſet Academia, Profeſſoribus, partim ex ſacerdotũ Collegio, quod in æde arcis, ante annos tunc 149. Rudolpho, Electore Saxoniæ, conſtitutum fuerat, delectis: partim aliunde, magno ſumtu accerſitis: Eoq; principe, piè defuncto, à fratre Iohanne Electore, Collegium illud, cum Academia in unum corpus eſſet adductum: neque Profeſſorum tamen numero, ſtipendijsq; certis, ſatis adhuc proſpectum eſſet Academiæ, ut nempe initia rerũ, non adjũcta mox

habent

habent incrementa & ſtatum: Iohannes Fridericus Electᵒr, ex teſtamento patris Iohannis, omni ſtudio & cura id egit, ut quæ tùm ex veteri Rodolphi conſtitutione, tùm ex patrui & patris ſingulari munificentia, ad ſacros illos uſus contributa; Ipſiusq; benignitate aucta & amplificata erant, in unam ſummam colligerentur, de cujus reditibus ſeu penſionibus annuis, ijsq; ſtabilibus & perpetuis, Academia ſuſtentaretur, Lectionesq; omniũ facultatum perpetuæ, in hac ordinarentur: ut ſicut corpus unũ & certum eſt Academia, ita fiſcum quoq; ſeu ærarium certum haberet, è quo. per Illuſtriſſ. principum Electorum beneficentiam, omni tempore depromerentur, quæ ſecundùm illorum conſtitutionem, impendenda eſſent in uſus Academiæ neceſſarios. Ita ergo fundata eo anno fuit Academia, & promulgata hæc Illuſtriſſima voluntas & beniznitas Principis, Menſis Maij die VII. Rectore Iacobo Milichio, artis Medicæ Doctore & Profeſſore publico: ad cujus viri præcipui mentionem, altius quoq; hæc repetere libuit. Natus autem fuit Milichius, anno Chriſti ſupra ſeſquimilleſimum, primo: viceſimo primo die Februarij, Friburgi Briſgoia, patre viro honorato, qui Magiſtratum præcipuum geſſit, in illo oppido. Is, cum indolem in filio perſpexiſſet, idoneam ad literas: primùm in patria Academia, ipſum erudiri curavit, ubi præſtantiſſimis viris, Eraſmo Roterodamo, Vlrico Zaſio, Conrado Heresbachio, Henrico Glareano, alijsq; familiaris & charus fuit. Quòd verò diſciplinas Mathematicas, naturæ quodam inſtinctu, plurimùm amaret: Viennam ſe ex patrio contulit, ubi mathemata, ex ſchola Burbachij & Regiomontani, tum maximè florebant. Viennâ, huc venit, anno ſupra ſeſquimilleſimum, viceſimo quarto, adductus, tum famâ nominis Philippi, ex Eraſmi commendatione: tum verò inprimis, ardenti ſtudio ac deſiderio veræ de DEO doctrinæ, quæ in hac Academia nuper, cum ſobria ac erudita Philoſophia, inſtaurari cæperat.

ORATIO.

Cùm aliquandiu hîc vixisset, vocatus ad munus publicè docendi: primus fuit, qui Mathematicas disciplinas in hanc Academiam introduxit. In quibus, atq; adeò in universa doctrina Physica, quantum excelluerit, & quid posteritatem in ijs effecerit, Enarratio secundi libri Plinij ostendit: quod scriptum, exteri quoque homines doctrina polirissimi, ob singularem eruditionem, & variarum utilissimarum q; rerum explicationem disertam ac perspicuam, magnificiunt & admirantur. Docuit & artem medicam, annos aliquot. Cumq; ea ætate, plerasq; ex Arabum libris, in Scholis traderentur, quorum horridum admodum, & inconditum dicendi genus est: Milichium eo nomine commendari legimus, quòd discentes ad lectionem Hippocratis & Galeni assuefecit, ipsisq; autor fuit, ut fontes potius doctrinæ huius adirent, quàm rivulos consectarentur, præsertim, cùm Græcæ linguæ usus, tum paulatim in Scholas esset revocatus. Hoc igitur viro insigni, Magistratim Scholasticum gerente, Iohannes Fridericus, Elector, fundationem Academiæ promulgavit. Atq; inter alia, quæ sapientissimo consilio tunc constituta fuerunt, lectiones quoq; in Medicina, certo modo ordinatæ sunt, & numero Professorum aucta. Nam cùm initiò, tantum unus medicus esset, & pòst aliquandiu duo: deinceps additus est tertius, operis ita distributis, ut primus maximè utiles libros Hippocratis & Galeni explicaret, alter Rhasen & Avicennam, tertius Anatomica tractaret. Erant tum illi tres: Augustinus Schurfius, Iacobus Milichius, Melchior Fenditus. Quo salutari & laudabili pij principis instituto, magna accessio commoditatum omnis generis, ad Academiam hanc facta est; & docendi ac discendi oportunitates, in omnibus disciplinis, cum dignitate Academiæ, plurimùm amplificatæ. Sequentibus proximè annis, inter Professores Medicinæ publicos, legitur etiam nomen Doctoris Georgij Curionis; quem tamen nõ ita muliò pòst, aliò vocatum fuisse, constat. Anno supra sesquimillesimum, qua-

trageſimo tertio, Menſis Iunij die 7. Doctoris in arte medica titu-
us tributus, à Doctore Milichio fuit, Iohanni Placotomo. Is eſt,
ui commentaria ſcripſit in Eobani libellum, de conſervanda va-
etudine: librum etiam edidit, de natura & differentijs cereviſi-
rum: & pharmacopœæ compendium, atque alia quædam: quæ
nõ ſolùm à medicis utiliter cognoſcuntur, ſed ſtudioſis quoq; adole-
ſcentibus, ad curationem valetudinis non parũ momenti adferũt.
Ac inprimis hoc tempore, in hac hominũ intemperantia & luxu,
alibus præceptis opus eſt, ubi plerumq; accidit, quod Democritum
dixiſſe accepimus: homines quidem ſanitatem à Deo precari &
optare: poſtquam verò hanc adepti ſint, eam ipſos per luxuriam
urpiter perdere, atq; ita hoſtes & proditores effici proprij corporis.
Eodem anno, die 3. Iulij, promotore eodẽ, inſignia Doctorũ medi-
cinæ acceperunt, Melchior Fendius, de quo paulò pòſt: & Hierony-
mus Oederus, Illuſtriſſimorum Principum, Ducum Pomeraniæ in
aula Volgaſtenſi, poſtea factus Medicus.

Fendius autem, patria Nordlingenſis, (nam multa hactenus
omittimus, quæ perſequi in hac brevi commemoratione, viſum nõ
fuit) in hac Academia, ad annos docuit 40. primũ Ariſtotelica, de-
inde & Medica: in quibus omnibus, eam fidem, induſtriam, &
aſſiduitatem præſtitit, à qua vir bonus, & pietatis atque virtutis
amans, jure & meritò commẽdatur. Venerat Lipſiam, Anno Chr.
ſupra ſeſquimilleſimum, quarto, adoleſcens annorũ XVIII. ubi in
familiam & conſuetudinem receptus eſt, Medici illo tempore ex-
cellentiſſimi, quem & ſuprà honoris cauſſa nominavimus, D.
Simonis Piſtorij Cuius inſtitutione multùm profecit, in doctrina
Phyſica & Medica: ſicuti ejus viri inſignem eruditionem, fidem
ac humanitatem, quoties in ſermonem illum incidit, mirificè præ-
dicare ſolitus fuit. Nono anno pòſt, hic commigravit, cùm ſchola
hujus fama paulatim inclareſceret: atq; in hac, tum diſcipuli, tum

Doctoris (ut diximus) partibus fideliter atq; utiliter functus est, de quo in præsenti, non plura.

Sequitur triste ac difficile tempus, quo Musæ bello Smalcaldici conterritæ, & è dulcissimo hoc domicilio suo ejectæ, passimq; dispersæ aliquandiu siluerunt, & Academiæ status miserè labefactatus, ac penè eversus fuit. Eæ igitur, ut revocarentur, Illustrissimus Princeps, & Heros Magnanimus, Mauritius, Elector sub initia suæ gubernationis, in gravissimis alijs, quas tempora illa afferebant, curis, deliberationibus, & occupationibus, hanc nõ postremã esse passus est: quo modo, turbata & afflicta Academia iterum colligeretur, & in tranquillum statũ, cumq; priore nõ inferiorem aut meliorem etiam, collocaretur. Cumq; alia sapienter & laudabiliter hic constituisset, quibus collapsa propemodum doctrinarũ studia instaurarentur: Medicis quoq; tribus illis, quos suprà nominavimus stipendia majora decrevit, atq; ab hac etiam parte, gratiam & munificentiam suam, erga Academiam, insigniter testatus est. Hæc cùm initio anni supra sesquimillesimum, quadragesimi octavi gererentur: postea mense Majo. piè ac placidè de hac vita decessit Augustinus Schurfius, completo ætatis anno 53. & 4. insuper mensibus. In quo ipso, longè inferior fuit fratre Hieronymo, qui annum ætatis 73. superavit. Eodem anno, die 7 Augusti, à Doctore Fendio, Doctor Medicinæ publicè renunciatus est. Petrus Sibyllenus Torgensis, qui de Peste librum edidit absolutissimum, cum præfatione & commendatione honorifica Petri Andreæ Matthioli, Itali, viri clarissimi. Fuitq; hæc prima post bellum Smalcaldicum promotio, quam nulla in alijs facultatibus præcessit. Mortuo Augustino Schurfio, Academia Medicos aliquamdiu duntaxat duos habuit, quacunq; sanè occasione id acciderit: Milichium, & Fendium. Milichius, cùm medicam artem fideliter docuisset, & feliciter exercuisset, in hac Academia & oppido, annos multos & vitæ integritate morumq; gra-

vitate, exemplo fuisset omnibus: tandem in vera filij DEI invocatione decessit, anno Christi 1559. die 10. Novemb. magno sui apud bonos omnes desiderio relicto. Paulò ante mortem, cùm apud Dn. Philippum Melanthonem, cui familiaritate & usu maximè coniunctus erat, multa de Ecclesia piè & graviter locutus esset, hæc de morte addidit: etsi iter durum sit, tamen cùm sciat, non casu homines ad tantas calamitates nasci, sed restare aliam vitam meliorem, se expetere illius vitæ sapientiam, ubi DEVM coràm cernat, & causas cognoscat mirabilium operum in Ecclesia, & in Natura rerum: ideoq; spe fruendæ illius sapientiæ, se, quasi manu jam ducente Filio DEI, minus ab illo itinere abhorrere. In ejus funere, lacrymas profundentem vidimus Dn. Philippum, testes sinceri erga hunc virum amoris, & familiarissimæ cum eo consuetudinis, dum in vita esset. Et auditæ tum sunt præsagæ voces à Philippo, seipsum quoq;, desiderio beatæ ac dulcissimæ coniunctionis cum Christo & sanctis omnibus, paratum esse ad migrandum; brevi fore, ut sequatur amicum hunc suum, quem jam cum lacrymis præmisisset. Quod & quinto pòst mense, contigit: cùm annis antè 14. Divus Lutherus, beato ac placido exitu, vitam in terris clausisset, sequentibus ab ejus obitu, in Ecclesia, & Imperio Romano, ijs mutationibus, quæ notissimæ sunt, & quas vivus ipse, suis ad DEVM precibus ac gemitibus, vel averterat, vel suspenderat, stans tanquam electus DEI, in rupiura, & adversus hanc, coram DEO, pro Ecclesia, ne illa dissiparetur. Et quoniam in mentionem Lutheri iterum incedimus, unum addere placet, quod ad commendationem nostræ artis, non parum facere existimo: amasse ipsum doctrinam medicam, & remedia familiaria ac salutaria multa novisse. Ac propterea filio Paulo autorem fuisse, ut pòst religiosæ pietatis studium, ad hanc doctrinam, tanquam nobilissimam, animum applicaret, quod & præclare cecidit. Nam ita felices in cognitione & usu artis, progressus ille

habuit, ut in præcipuis harum terrarum medicis, nomen ejus celebre sit, & sua medendi opera, principibus, alijsq; omnium ordinum hominibus, plurimùm profuerit.

Duxit nos annorum series, ad id tempus, quo pientissimus & munificentissimus Princeps Elector, Augustus, rerum potiri cœpit: etsi promotio Pauli Lutheri, & obitus Milichij posterius acciderint, illa quadriennio, hic sexennio. Hujus autem optimi principis paternam erga hanc Academiam affectionem, & beneficia planè regia, quo numero comprehendam, quibus verbis prædicem: in hac mea tenuitate & infantia, non reperio. Majora illa sunt, majora inquam, quàm ut ea, nõ dicam complecti oratione, sed percensere numerãdo queam. Equidem, id publico scripto aliquando cõsignatum & prædicatũ memini, quod & ijsdem propemodum verbis referam: Illustrissimũ hunc principẽ, supra majorum suorum munificentiã, intra 4 annos, sortem seu caput pecuniæ, ad quinquaginta millia aureorũ (quæ vulgari æstimatione, dimidia auri Tonna est) in hanc Academiam impendisse: docentiũ scilicet stipendia augendo, discipulisq; nova constituendo: & domum scholasticam novam (Collegium Augusti nunc vocatur) emendo, donandoq; ad hujus ædificationes: & Eleemosynam pensionis annuæ, in valetudinarium scholasticum conferendo: & frumentum tribuendo, ad allevandos sumtus pauperum, in mensa communi. Tum verò præter hæc, immunitatum & privilegiorum novorum cumulum adjecisse luculentũ: atq; adeò dum vita suppeteret, augendo & ornando rem scholasticam, nunquam defatigatum fuisse. O verè magna & heroica beneficia, tanto principe digna: quæ cum subiectissima reverentia, & religiosa gratiarum actione, meritò ad omnem posteritatẽ commendantur. In hac ergo paterna solicitudine, de felici & florente Academiæ statu procurando, complexus quoq; est Princeps optimus Collegium Me-

dicum

dicum: quod ut membris ſuis integrum conſtaret, & non tam auditorum, quàm Doctorum penuria, quod aliquandiu tunc factum fuerat; deinceps laboraret: Illuſtriſſimæ illius munificentiæ, quam in totam Academiam uberrimè contulerat, partem non exiguam, ad idem illud Collegium redire voluit: quo beneficio & hodierno die, memori ac grato animo fruimur. In adjunctis Collegio Medico fuit & Vitus Ortelius Winshemius, artis medicæ Doctor, & linguæ Græcæ Profeſſor in hac Academia, eximius. Converſum acurat â diligentia & ſtudio, in Latinum ſermonem, nobis reliquit Thucydidem, autorem optimum; qui, teſte Cicerone, rerum geſtarum pronunciator ſincerus & grandis eſt, & poſt Herodotũ, omnes, dicendi artificio facilè vincit. Quem & propter rerum magnitudinem & gravitatem, maximi fecit Carolus V. Imperator, ejusq; hiſtoriam, in Gallicam linguam feliciter traductam, cupidè legit, relegitq;, quòd hac ratione â ſapientiſſimi ſcriptoris cognitione, ſe multùm in gubernatione Reipublicæ juvari, & quaſi inſtrui atq; armari ſentiret.

Poſtremus, ex primis illis Medicinæ, in hac Academia inſtauratoribus, fuit Doctor Fendius, qui & DEVM religioſè colendo, & de plurimis in genere humano, ſua opera medica, aliisq; honeſtis officijs benè merendo, vitam ad annum 78. ætatis produxit. Et moriens, teſtamento reliquit apud Academiam, annuas quasdam penſiones, erogandas in pios uſus: quas poſtea gener ipſius, Iohannes Hermannus de ſuo ampliores reddidit, Profeſſor medicinæ & ipſe hic factus, poſt ſoceri obitum.

Quia verò anni jam præterierant 18, quibus duo ſolùm in Collegio medico Lectores eſſent, qui ſuperiore tempore tres fuerant: Auguſtus Elector iterum rem communem, ſua inſigni pietate & liberalitate ſublevans, tertium Medicum cæteris

adjunxit,

adjunxit, anno supra sesquimillesimum, 66, munerato ei peculiari, eoq; honesto stipendio. Cumq; tres rursum essent, operas praelectionum ita partiti sunt, ut omnibus, provectioribus pariter & tyronibus, copia foret lectionum & exercitiorum in arte medica: qua operarum distributio, postea legibus recepta & confirmata fuit, atq; etiam nunc, tanquam studijs discentium maximè accommodata, servatur.

Hunc deniq; Professorum Medicinæ numerum, Illustrissimus & generosissimus Princeps Elector, Christianus I. pro sua quoq; erga hanc Academiam, & in ea disciplinarum omnium Doctores, benignissima affectione & propensa voluntate, non retinuit solùm, sed & Professorum in hoc, stipendia clementer auxit: alijsq; beneficijs, amplis ac illustribus Academiam cumulavit, quæ commemorari numero plura, verissimisq; laudibus ornari ac prædicari, proxima solennitate, ab Antecessore meo, viro clarissimo, audivistis.

Porrò autem, sicut laudabiliter illa omnia constituta fuerunt, ab Illustrissimo Principe, Electore Christiano I. ita per tempus felicis & salutaris administrationis Electoratus Saxoniæ, ab Illustrissimo Principe Friderico VVilhelmo conservata & firmata sunt: quod & ipsum, memori mente agnoscimus. & prædicabunt post nos deinceps alij, quamdiu Academiæ hujus nomen ac dignitas mansura est.

Repetivimus memoria, quod propositum nobis erat, beneficia divina, quibus pientissimi Principes Electores Saxoniæ, praeter cætera infinita & memorabilia, Scholam etiam Medicam in hac Academia, paternè & benignè affecerunt, ab ultimo ejus initio: merita item virorum præcipuorum, qui primi sua opera & studio, artem Medicam hic fundarunt & extruxerunt, à quibus

per sequentia deinde tempora, felici successu, ad nos propagata fuit. Atq; hac strictim breviterq;, ut temporis ratio, & facultas nostra tulit, attigimus. Qui autem Professores, eo numero, quem diximus, alij, decedentibus alijs, tanquam in statione successerint: id recensere hoc loco longum foret, haud scio, an à mea, dicentis nimirum parte, quoq; fastidiosum. Iam enim vereor, ne aures vestra audiendo defatigata, extremum aliquod orationis expetant.

Certè viri illi, de studijs nostris optimè meriti sunt: sive vitam adhuc degant, sive hanc cum morte beata commutaverint: horumq; memoriam, dum arti Medici suus constabit honos, posteri grato animo retinebunt.

Quibus verò tandem laudibus, Inclytos & pientissimos Electores Saxoniæ celebrabimus? qui secundùm DEVM, omnium bonorum, quæ Academia obtinet ac possidet, nobis autores & conservatores fuerunt.

Magnifica enim & gloriosa multa, per eos effecit, majestate sua, DOMINVS. Sapienter & pacificé rexerunt populos suos. Omnes isti ætatibus suis gloriam adepti sunt, & temporibus suis laude claruerunt. Nomen reliquerunt præclarum, in quo amplissima laudum memoria est proposita: ipsorumq; rectè facta, oblivione nunquam delebuntur. Hæreditas bona, semen ipsorum: & posteritas eorum manebit in perpetuum, cum dignitate & gloria. Corpora eorum, in pace sepulta sunt: at nomen, vivit in seculum seculi. Sapientiam eorum enarrabunt populi, & laudes ipsorum prædicabunt hominum congregationes.

Sit igitur memoria ipsorum, in benedictionibus. Ossa eorum, locis ubi condita sunt, perpetuò frondescant: nomenq; ipsorum in æternum permaneat. hæreditate gloriæ sanctorum illorum virorũ, ad filios & ad posteros, multis seculis propagata.

Hæc vota, hoc loco ſacro, & hoc tempore ſolenni facere, juſſit me pietas, cùm aliud, quo grati animi ſignificationem ederem, in promtu non eſſet: nec dubito, quin cum noſtris hiſce, vos etiam veſtra conjũxeritis. Quæ ut clementiſſimus DEVS, in cujus manu omnia poſita ſunt, rata ac firma eſſe velit: ipſum ſupplice manu & corde precabimur, cum debita ſimul, pro præſtitis hactenus beneficijs gratiarum actione.

Tibi ergo æterne, vere, ac vive DEVS, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor cœli ac terræ, & generis humani; unà cùm filio tuo coæterno; & Spiritu ſancto, gratias agimus toto pectore, quòd lucem Evangelij tui, è tenebris ſuperioris ſeculi erutam & accenſam, primùm ex hac ſchola, tanquam è ſpecula, in excelſo monte poſita, in orbem Chriſtianum longè lateq́ diffudiſti: quòd ingenuis ſimul artibus ac diſciplinis, ſuum nitorem reſtituiſti: quòd Illuſtriſſimorum Principum Electorum Saxoniæ, animum ita clementer rexiſti, ut ad conſtituendam, ornandam & amplificandam hanc ſcholam, nihil ſibi reliqui fecerint: quòd deniq́ Doctores ipſos & Præceptores noſtros, tuo Spiritu ſancto ita gubernaſti, ut tantæ molis rem, tam forti pectore aggredi ac ſuſtinere potuerint. Tuum hoc opus fuit, tuum munus.

Te porrò ardentibus cordis gemitibus oramus, ut qui tantorum beneficiorum, quibus cumulati ſumus, ἀρχηγὸς fuiſti: eorũdem quoq́ τελεσιεργὸς καὶ βεβαιώτης μόνιμος eſſe velis. Tu hoc doctrinarum domicilium auguſtiſſimum, atque in eo, veræ religionis, honeſtarumq́ artium ſtudia, per hoc etiam ſeculum, quod tuo beneficio feliciter modò exorſi ſumus, clementer conſerva; neque unquam nos orphanos, in hoc furore Diaboli, & mundi tempeſtatibus relinque: Defende ac protege Illuſtriſſimum Principẽ Chriſtianum II. Electorem Saxoniæ, nutritorem noſtrum benigniſſimum, unà cum conjuge Regia, cum ſereniſſima matre, & fratri-

bus Illustrissimus, Ducibus Saxoniæ, Domino Iohanne Georgio, & Dn. Augusto, Rectore Academiæ Magnificentissimo, Dominis nostris clementissimis: ut tua gratia, sub beneficentissimi hujus Magistratus tutela, & præsidio, diu otio hoc litterato perfrui, operasq́ nostras singuli, vera pietate, animorumq́ coniunctione, obire & exequi possimus: largire pacem & tranquillitatem his regionibus, reprime rabiem & insidias hostium Ecclesiæ, tolle aut mitiga calamitates publicas & privatas: atq́ hæc omnia, propter nomen tuum sanctum fac, ut ipse in æternum celebreris. AMEN.

DIXI

Carmina

χαριστήρια ACADEMIAE VVITE. BERGENSIS.

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.

ΤΊΠΤΕ παλαιγενέων ἰνδάλματα τόσα φαείνει
Ἡρώων σιλπνοῖσι μντ' ἀσράσι; πῶς ἀνέδησαν;
Ὥσσφε χαριζόμενοι λαμπραῖς τίμησαν ἀμοιβαῖς
Ἀρχαῖοι σοφίης ταμίαι κατά πέζαν Ἀχαιῶν,
Ἀμφ' ἐυεργεσίης, ὅτι πατρίδι χρησὰ πέλεσαν
Παντοίης ἀρετῇσι, καὶ ἐσθλῶν κήδει Μυσέων.
Παῦρα μὲν ἐκ πολέων ὑμνείομεν. Ελλάδι χώρῃ
Ἀσρονόμυ διδαχῆς γυμνάσματα πρῶτος ἔθηκεν
Ωρίων, ἔκπαγλος ἄναξ Βοιωτίδος αἴης.
Εὖ δ' ἔρδων περιῆπε. Τῷ οἱ χάριν ἀντινέμοντες,
Οὐρανῷ ἐγκατένασσαν, ὁμοῦ κύρῃσιν Ἄτλαντος,
Ὅς μιν ὁλυμποδάπης μελετήμασιν ἐξεδίδαξε.
Τοῦ δὲ μέσῳ κάλλιστον ἐν αἰθέρι λεύσομεν ἄστρον.
Γοργόνας ὡς ἐδάμασσεν, ἀοιδιμάτ' ἄλλ' ἐπέδειξε
Μυρία, παῖς Δανάης, Παρνήσιον ἀμφὶ κολωνὸν.
Ἀονίαις ἐλάχαινε ϑεαῖς βαθυμυρέα πηγὴν.
Ἐκ δ' ἄρ' Ὑπσήμης πολυειδέος ἐυεπίησε
Νάματα πλημμύρεσκεν, ἀν' Ἑλλάδα καὶ χθόνα πᾶσαν.
Τῷ μιν ἐν ἀσράσι ϑῆκαν ἀειφανέεσσιν ἰδέσϑαι,
Αὐτόν καὶ γαμετὴν, καὶ πενϑερῶ, ἠδὲ τὸν ἵππον.
Τοσσατίη χάρις ἦε, λόγων παιδεύματ' ὀφέλλειν
Ἀρχοὺς ὠγυγίους, παρ' ἐφῦρονέουσιν Ἀχαιοῖς

Gratiarum Votum.

QVî factum, ut tot veterum heroum imagines
Inter splendida sidera luceant? quonam modo evecti
sunt?
Tam illustres rependerunt illis honores, grati animi
studio,
Antiqui sapientiæ promi in terra Græcorum,
Ob benefacta: quod utilem patriæ operam navârunt,
Tum omni virtutum genere, tum favore erga bonas Artes.
De multis pauca jam celebramus. In Græcia
Astronomicæ doctrinæ Scholas princeps instituit
Orion, rex ille Bœotiæ admirandus,
Benigneq; fovit. Idcirco gratiam ut referrent,
In cœlum hunc transtulerunt, una cum filiabus Atlantis;
Qui siderali eum disciplina erudierat:
Hujusq; astrum pulcerrimum in medio Cœlo contem-
plamur.
Gorgones cum subegisset, aliaq; edidisset celebratione
digna
Plurima, Danaë genitus (Perseus) in colle Parnassi
Profundum Deabus Aonijs fontem effódit:
Vnde multiplicis scientiæ & eloquentiæ
Flumina in Græciam totumq; Orbem redundârunt.
Ideo inter stellas perpetuo conspicuas collocaverunt
Et ipsum, & uxorem, & soceros, atq; equum.
Tam gratum erat beneficium! si doctrinarum studia pro-
Antiqui principes, apud Græcos sapientissimos, (moverēt

Ὥστε φίλους Μουσέων καὶ ἐς οὐρανὸν αὐτὸν ἀείρειν.
Ἴσης νῦν τιμῆς καὶ μείζονος ἆθλον ἔοικεν
ἀρχοῖς Σαξονίης εὐήνορος, ὧν γέρας, ἀρχῆς
Καίσαρα Τευτονικῆς Ῥωμήϊον αἱρήσασθαι.
Τῶν ὁ μὲν ἐξ αἴης Βοιημίδος ἐς χθόνα Μυσῶν
Ἤγαγεν ἰδμοσύνας, ὅθι Λείψιον ἄστυ φαείνει,
ΦΡΗΔΙΚΟΣ, Μούσῃσιν Ἄρηΐτε φίλτατος ἥρως.
ὃς δ' εἰς Σαξονίης πέδον ἀγλαὸν, ἐξ Ἑλικῶνος
Ἔσσε θεὰς, πάσης σοφίης κληῖδα φερούσας,
ἐν δ' ὄχθαις ἱερὴν Λευκωρίσι θῆκ' Ἀγανίππην,
Ἰσοθέου πάπποιο φερώνυμος, ἔρνος Ἀθήνης.
Ἣ νῦν παντείης διδαχῆς ῥόον ἐνθάδε λείβει,
Θείης ἀνδρομέης τε. Νέος δ' ἐξῶρτο Προμηθεὺς,
Οὐρανίων φωστῆρα λόγων κρυφθέντα παρ' αὐτοῦ
Ἁψάμενος Χριστοῦ, φαέθων ὃς ἐτήτυμος ἀδρῶν.
Νῦν δ' ἐρατὴ Λευκωρὶς ἔχει κτέαρ, οὗκεν ὄναιντο
Ἄμβροτον εἰς ζωὴν, πάσης οἰκήτορες αἴης,
Πᾶσαν ἐς εὐμαθίην, πιστοὶ Μουσέων θεράποντες,
Ἐς κλέος ἀρχηγοὶ παναγήρατον, οἳ τὸ ῥύονται.
Ὡς νῦν ΧΡΙΣΤΙΑΝΩΙ μεγαλήτορι πάντες ἄριστοι
Λαρὸν ἐπευφυμοῦσιν ἐν ἤθεσι τευτονιδάων.
Οὕνεκα Λευκορέοιο γενέθλια Μουσείοιο
Ἀμφ' ἑκατοστὺν ἐτέων λαμπρῇ κύδηνεν ἑορτῇ.
Στήσας δ' αἷς δαπάνῃσι πανήγυριν, εὖ τροχάουσι
Μουσοπόλον κατ' ἀγῶνα νέοις ἀπεδάσσατ' ἀέθλα.
Χαίρετε Σαξονίδαι, μάλα χαίρετε ποιμένες ἀνδρῶν!
Ὦ Μουσέων θρεπτῆρες, ἀνεμβεβαῶτες ὄλυμπον!
Ὑμῖν ἐκ χωρεῖ Περσεὺς, εἴκειτε διωκτὴς
Πλήϊάδων, τιμῆς πρεσβήϊον ὔμμι λελοιπώς.
Ἐξ ὑμέων λογίῃσι πολὺ πλέον ἵκετο τέχναις.
Χριστὸν ἐπεὶ Μούσαις γλυκεροῖς ἡρμόσσατε φίλτροις.

Vt Muſarum amicos ad ipſum usque cœlum extollerent.
Par, imò etiam majus, honoris præmium debetur
Maſculæ SAXONIAE DVCIBVS. Quorum munus eſt
Teutonici Cæſarem Romanum eligere. (Imperij
Horũ unus è terra Boihemica in Myſorum regionem
Diſciplinas intulit, ubi Lipſica urbs coruſcat,
FRIDERICVS, Muſis & Marti heros cariſsimus.
Alter ex Helicone in Saxoniam inclytam
Deas omnis ſapientiæ clavem gerentes transſocavit,
Inq; VVITEMBERGAE ripis ſacram Aganippen ſtatuit,
Divi nomine Avi inſignis, germen Minervæ.
Vbi nunc omnigenæ doctrinæ ſcaturiginem profundit,
Divinæ ſcil. & humanæ. Novusq; inde Promethe⁹ (Luther⁹)
Qui occultatam verbi cœleſtis lucem ab ipſo (exſtitit,
Chriſto accendit: qui verus generis humani Sol eſt.
Nũc igitur VITEBERGA amabilis peculiũ habet, quo
Ad immortalẽ vitã, univerſi Orbis incolæ; (frui queant,
Ad omnem ſcientiam, fidi Muſarum cultores;
Ad gloriam nõ ſeneſcentem, Principes, qui hoc conſervãt.
Vti nunc CHRISTIANO Elect. magnanimo optimi
In Teutonum natione dulciter acclamant, (quiq;
Quod Academiæ VITEBERG. natalem
Sub finem ſeculi primi ſolenni feſto celebrandum curavit,
Et Panegyri, ſuis impenſis inſtituta, juvenibus,
In certamine Muſico probè decurrentibus, premia diſtri-
Salvete Duces SAXONIAE, virũm Paſtores! (buit.
O nutritij Muſarum, qui Cœlum virtute conſcenditis!
Vobis locum dat Perſeus, ceditq; inſectator
Pleiadum, honoris prærogativam vobis relinquens.
A Vobis enim plus doctis Artibus redit (quam ab illis:)
Quia dulci amoris vinculo cum Muſis Chriſtũ adunaſtis.

Τῷ νεαρῆς τόκον ὠδίνει χάρις ὔμμιν ἀοιδῆς.
Θάλλοις Χριστιάδη! μετάσευ θάλλοιεν ἀδελφὼ
Δὴν μάλ', Ιωάννης ὁ Γεώργιος, ἠδ' Αὔγουστος,
Ἡμετέρου σκηπτοῦχος ἀεθλονόμοστε λυκήου!
Οἶκος δ' ὄλβον ἔχοι τὸ δὲ κοινὸν νωλεμὲς ἀνθέοι,
Σκῆπτρον σὺν λαοῖσιν! ὁμοῦ κηρύγματι θείης
Ἀτρεκίης καθαρῷ λογίων χρηστήρια Μουσέων!
Ὡς ὑπὲρ Ωρίωνα κατ' ὀνρανὸν ἀστράψοιτε.

Idcirco novi de hinc carminis fœtũ Gratia vobis parturit.
Floreas CHRISTIANE! Floreant tecum duo germani,
Ad longã ætatẽ, IOANNES GEORGIVS, & AVGVSTVS,
Acad. noſtræ Rector, & præmiorum diſtributor!
Domus Saxon. felicitatem obtineat! & Reſpubl. vigeat per-
Imperium unâ cum populo! Cum puro divinæ (petuò,
Veritatis præconio, diſertarum oracula Muſarum, Scholæ!
Vt tandem in cœlo ſupra Orionem effulgeſcatis.

Cum ſubiectiſſ. devotione F.
LAVRENTIVS RHODOMANVS,
Hiſtor. Prof. Phil. Fac. Decanus.

STirps Auguſtiadæ, ſoboles propaginis altæ,
Dijs genite, & magnos progeniture Deos,
Enſifer Imperij, ductor Miſneidos oræ,
Principe quo meritò Saxona Ruta viget:
Quòd ſexaginta Sophiæ quatuorq́; magiſtros
Ornatu celebri, magnificaq́; dape,
Munificus nuper voluiſti rite creari,
Seclum Academiæ Sol ubi primus agit:
Quas tibi, ſat dignas, grates vel aget, vel habebit,
Illa Sophôn veſtræ natio docta ſcholæ?
Quas alias? quàm quòd ſervabit pectore, & ore
Perpetuo mentis tam pia facta tuæ;
Atque vovet: felix Neleia ſecula condas
Terra, at ſeclorum ſecula cuncta polo.

Adamus Theodorus Siberus.

ORATIO

De

VVITEBERGA

In

Publica Doctorali renunciatione

VViteberge habita

à

LUDOVICO PERSON IC.

Ad Cand. Lectorem.

VIdes, amice Lector, historicam enarrationem sive oratiunculam, quam Non. Martij Anno 1598, in solemni inauguratione, qua doctoralis cingulus in utroque jure conferebatur sex Viris clarissimis, excellentils. ex quibus unus & insuper duorum parentes, nati hoc loci & educati fuêre, de hac nostra VViteberga, publicè habui: & habui, ut actui inservirem, non ut typis committerem. Verùm ab amicissimis nunc temporis, vel ex eo ut hoc Iubilæo & ipse dolium meum volverem, persuasus, tibi tandem communicare volui. Vtere igitur & fruere, bonique consule, ac bellissime vale.

ORATIO
DE VVITEBERGA.

SI QVANTVM ANIMI; TANTVM *afferrem ingenij, ad exequendas muneris & officij præsentis partes, mihi ab amplissimo Collegio Iuridico superioribꝰ diebꝰ demãdatas: neutiquam commoverer amplitudine hujꝰ loci, neq; cœtus hujus literatissimi politissimiq; cõspectũ reformidarẽ. Non enim sum nescius, quid peraugusti hujꝰ templi, quod Summorũ penè Oratorũ concionibus quotidiè personat, & in quo illustrissimorum Heroũ, aliorumq; clarissimorũ Virorum monumenta & ornamenta, ceu testes singularis virtutis & eruditionis, in publico erecta, undiq; conspiciuntur amplissima, exigat auctoritas, & à me efflagitet eruditissimorum hominũ dignitas & multitudo, in quorum præsentia nihil temerè est suscipiendum, nihil proferendum, quod non arte & industria sit elaboratum; suisq; numeris perfectum. Verùm enimvero, cum ita videatur laudatissimæ Facultati nostræ, & ita Scholæ hujus ferat consuetudo, quæ pro lege habenda est, & eapropter illius arbitratu permulta nobis & facienda sunt, & omittenda: Experiar, quod lubet licetq; apud eos, quorum benevolum promptumq; studium in multis, minimeq; dubijs, percepi sæpius, quorumq; æquanimitatem & benevolentiam, vel nunc temporis spondêre mihi magis audeo, si tale à me propositum fuerit dicendi argumentum, quod favore dignum est, & in aliquo, si erratum fortè fuerit, excusationem meretur, quodq; nullum splendorem orationis, nullum verborum nitorem poscit & requirit. Animus enim mihi est dicere, & dicam pau-*

cis, pro instituti hujus, actionisq; ratione, de ipsa sede & loco, in quo stamus & sedemus, de hac, inquam, VViteberga, patria mea dulcissima. Quod argumenti genus, licet in arena, ut dici solet, atq; sub manu enatum videatur: tale tamẽ esse existimo, quo nullum commodius hac vice, neq; mihi neq; ex parte ijs, quorũ causa convenimus, imò nec ipsis audientib. cõvenientius eligi potuisset. A Quinto Mutio Scævola Pontifice olim Rom. Maximo, & omnium, quorum scripta in Pand. translata supersunt, ICtorum vetustissimo, reprehensum legimus Publium Servilium Sulpitium, nobilem illum civem Romanum, quod jus urbis ejus, in qua versabatur, ignoraret: quanto reprehendendi magis, qui genij statùve loci illius, in quo commorantur, & cujus se cives hospitesq; profitentur, ibiq; beneficijs & honoribus affecti sunt, nõ qualem: qualem sibi comparârunt notitiam: illi comprimis, qui literis suntediti, & bonarum artium atque antiquitatis studiosi audiri cupiunt: Et hoc, vel eos maximè decet, quos vel ipsos, vel quorum parentes, eo in loco natos & educatos, omnibusq; bonis & commodis quandoq; locupletatos constat. Horum etenim est, de Patriæ emolumentis subinde & solicitè cogitare, atq; in conservanda illustrãdaq; ea, omnes animi, corporis & fortunæ vires, nervosq; intendere. Est quidem (fateor.) Terra omnium Mater, & quælibet terra ex Curtij ac Herculis sententia forti sapientiq; Patria: Imò ubicunq; benè: ibi secundum Teucrum, patria: sed

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Quod Homerus Poëtarum Coryphæus, prudentissimè Vlyssis lucu-lentissimo comprobavit exemplo, quem adeò patriæ amantem introduxit, ut si modò fumum sibi, de genitali terra exeuntem videre liceret, haud reluctaretur mori. Nec desunt exempla, qui pro aris & focis, pro salute & incolumitate patriæ, gravissimis sese ultrò exposuerunt periculis, dulceq; & decorum pro Patria mori

existimarunt, qui ex Iureconsultorum scitis immortalitatem ex mortalitate consecuti, etiamnum per gloriam & in perpetuum vi vere intelliguntur. Taceo, quod in pari causa, utilitate vel necessitate urgente, patriæ plus atq; parentibus ipsis, à quibus spiritũ & vitam, ossa & carnem habeamus, ex omnium ferè Iurisperitorum & Philosophorũ censura debeamus. Quò spectãt Socratis illa, nec Platoni ignota, aurea & memoria dignissima verba, dicentis: ὅτι μητρὸς τε, καὶ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερον ἐστὶ πατρὶς καὶ σεμνότερον καὶ ἁγιώτερον.

Et hæc mihi cum omnibus communia: Illud cum ijs, quibus ex Dei optimi maximi beneficentia hic lucem hanc primum aspicere contigit, singulare, quod Patriam nos talem adeptos, gloriari, & verè gloriari possumus, quæ inter omnes Germaniæ, totiusq; Europæ urbes, caput in tantum erigit, quantum (ut cum Marone loquar) inter viburna Cupressi: quam non dicã μητρόπολιν καὶ ἔρεισμα, Saxoniæ superioris, sed theatrum orbis jure vocitamus: seminarium quoq; atq; officinam pietatis, larem virtutum, omniumq; doctrinarum laudatissimarum Musæum: domicilium & municipium Musarum: Reginam denique & matrem omnium piarum in Germania Ecclesiarum: ex qua fœcunda illa & numerosa soboles, tot Christianarum scholarum celeriter exorta est, & feliciter propagata: factumquè, ut nullus hodie tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus sit locus, in quo non hujus civitatis fama pervasit, nullus populus, nulla gens tàm barbara, tam inexculta, quam non jampridem hæc Vrbs non gloria modò & nominis sui splendore, sed & admiratione complevit. Hæc nisi memori & grato complecteremur animo, atque publicis simul, quantum valemus & licet, acclamationibus collaudaremus, ipsis brutis deteriores haud immeritò judicaremur. Proinde ab hoc dicendi argumento, deterrere me non potuit quod in Menexeno Socrates, & hunc secutus Aristoteles affirmat:

Athe-

Athenicnſium Athenis perſequi laudes, difficile non eſſe: Et quodidem aliquando tractatum ſit, & ſparſim agitatum: Quandoquidem δὶς κ᾽ τρὶς τὰ καλά: nec quicquam fermè iam fit & dicitur, quod non factum ante, & dictum ſit prius. Hoc an facile, an verò difficile, penes alios ſit arbitrium, ſit liberum iudicium: Mihi ea in re, ope & favore aliorum opus eſſe, non diffiteor. A te ergò DEVS opt. max. trine & une, à quo & per quem omnia, ſupplicibus contendo votis, ut mihi iter hoc ingredienti adeſſe, oculos aperire, greſſus dirigere, viam commonſtrare, mentem animumq; illuſtrare, & actiones meas, omnesq; conatus ita velis regere, promovere, ut in hoc conſeſſu, & omni vitæ meæ tempore, nihil dicam, nihil faciam, niſi quod tibi gratum, huic ſcholæ & urbi, adeoq; Patriæ & Germaniæ, nobisq; omnibus commodum ſit & ſalutare. Te verò, Rector Magnifice, vos generoſi Barones, Viri veneranda pietate, nobilitate, dignitate, doctrina atque prudentia longè præſtantiſſimi, vosq; liberalium artium ſtudioſi lectiſſimi: vos ſingulos & univerſos, ea, qua par eſt, reverentia & humanitate rogo, ut mihi non oratorium in modum, ſed nudè ὡς ἐν παρόδῳ ſine aliquo verborum fuco & lenociniȳs, comptuq; ſententiarum, de initiȳs, incrementis, aliȳsq; hujus civitatis ornamentis præcipuis, verba facienti, benignas & benevolas aures accommodetis: quod facietis haud dubie promptius, eoq; lubentius, ſi memineritis, & ut meminiſſe velitis, precos, illius, ubi ait:

Et pius eſt, patriæ facta referre, labor.

Domitius Vlpianus, Iuris & æquitatis Vir conſultiſſimus, quem ob egregia ingenii dona Alexan. Imp. tutorem, deinde cõliariũ; ac præfectũ demũ prætorio fuiſſe cõperimus, ubi in lis quas habemus, Patria ſua, Phœnicia Syria mentionem facit, illamque laudibus extollere cupit, eam inter alia à vetuſtate unicè

commen-

commendat. Nec imprudenter: Multum enim continet gratia, antiquitatis, si haberi potest, collaudatio. Neq; alia de causa studiosè hoc & singulariter observatum videmus ab omnibus fermè, qui in describendis gentibus, gentiumq; urbib. occupati fuerunt. In quo tractandi genere, ut ineptiunt, qui nonnullas αὐτόχθονες & ipso propè chao, Saturnijsq; temporibus priores, sed vanè jactitant: ita probè faciunt, qui illarum primordia, quantum potuerunt, certò designare, quibusvè auspicijs caperint, quibusvè creverint & unde nomen habuerint, evidenter conati sunt commonstrare. Hac enim vera gloria & laudis ratio: hac ingenua professio: ex qua illud proficiscitur commodi: ut erudiatur posteritas, non casu nec temerè, sed singulari Dei providentia, gentes exortas, urbes conditas, respublicas constitutas, & mirabiliter sapè conservatas esse: ejusq; intuitu ad facta majorũ & virtutes imitandas & admirandas; ad salutis publicæ curam majori cum devotione & solicitudine suscipiendam, invitetur & vehementius inflammetur. Sed nescio, quo fato factum, ut de hujus loci antiquissimis possessoribus, deq; hujus urbis origine & nomine, nihil penè certi habeamus, sed adhuc sub Iudice certemus. De quo tamẽ non est, quod adeò miremur: Cum & de veteribus Germanis, qui potentia floruerunt semper, & prudentia, fortitudine, reiq; bellicæ peritia, nullis unquam terrarum populis, quantumq; fortissimis clarissimisq;, inferiores fuerunt, deq; eorum factis, rebusq; gestis, non sine insigni rerum memorabiliũ iactura, parúm omnino, ne dicam nihil, literis consignatum videamus; adeoq; illi velut incognita Demogorgonis spelunca inhumati, inglorij & obscuriores sint redditi: Vt meritò cum Horatio quis cõqueri posset:

Vixere fortes, ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte: Carent quia Vate sacro.

Quod infelix Germaniæ fatum deplorarũt hactenus multi, & deplorabunt omnes posteri.

Principiò quantum ex historijs conijci, & memoria repeti potest, haud addubitandum reor, huius & finitimorum locorum vetustißimos incolas & possessores, nõnullos ex Cimbris sive Cimmerijs atque Gomeris, à Gomero ita dictis, & comprimis Ascanes, qui & Tuiscones & Teutones, nec non Caycos sive Caucos fuisse: quorũ hi ab Ascane Filio Gomeri. omnes verò ex posteritate sunt Iapetis, Filij Nohæ, patris Gomeri, nostratium gẽtium parentis certißimi: ex Asia in Europeas oras Germaniamq́ progreßi. De quo, ne æddubitemus, arguunt non tantum, quod Caycos Tacitus ob vetustatem nobilißimos vocet, eosq́ ad Albim & Herciniam ex Plinio alijsq́ consedisse constet, sed &, quod Ascaniæ hinc nomen in principatu Anhaldino, quo in hodiernum diem Principes illi etiamnùm utuntur, emanarit primitus: & Saxoniæ Electoralem Præfecturam & oppidulum haud procul hinc dißitum, cui Gommern *nomen est, à Gomero prædicto, ita denominatum, eruditorum pleriq́ existiment: licet quibusdam vocabulum hoc Sclavonicum exaudiatur. Secũdum hos adnumeramꝰ Syebos sive Suevos: & quidem eos, qui Senones dicti, omnium Suevorum, quorum in speculo Saxonico crebra fit mentio, & qui relicta quondam Asia Scythia que, longè lateq́ à Balthico & Svevico mari ad Albis usq́ ortum & exitum, in diversas familias distincti, variisq́ appellationibus discreti, regnarunt egregiè, caput, recensente Tacito & præcipui fuerunt, ab integritate, fortitudine & gravitate tãtopere à Strabone collaudati, ut eos quasi Σεμνοὺς dici voluerit: quos & respondisse huic nomini, res maximæ plurimæq́, domi & foris, in mediis Galliis, in Italia & alibi peractæ, ibidemq́ castra & urbes extructæ, coloniæq́ deductæ, evincunt clarißimè. Hi antiquitus universam Marchiæ partem eam, quæ Brandeburgum & Berlinũ respicit, & Lusatiam inferiorem, atq́ hac ad Albim loca, unde & Al-*

bani à Suida cognominantur, ultra Magdeburgum inhabitarũt, & longa seculorum serie prosperè & satis laudabiliter possederũt. Verum ut sunt rerum humanarum vicissitudines, eæq; crebris subinde & continuis motibꝰ atq; mutationibꝰ obnoxiæ: Ita & horum Imperium imminutum tandem, hoc loci, & fractum fuit: Non quod eos expulerint Hermunduri, ut Schonbornius existimat, qui & ipsi Suevi atq; Mysiæ, sive ut nunc loquimur, Misniæ Domini fuerũt: sed quod sedes regionesq; suas cesserint, reliquerintq; Sclavis Sorabis, à Serbis Sarmaticis, à quibus & Servij in Mysia; Ptolemæo derivatis: à reliquis tamen Sclavis & Sarmatis Henetis in genere non separandis, qui & alio nomine Veneti & Venedæ atq; Vendi, nostro idiomate Wenden/ *minus verò propriè Vandali vulgò, & à Bodino* πλέπται ἢ ἠλοπῆες *indigetantur, qui omnes vastissimam quandam & amplissimam regionem, qua superum inter inferumq; mare Balthicum patet & Euxinum, à Tanay flumine & Borysthine, ad Danubium, ad ostia Albis, promotis subinde suis domicilijs veteribusq; Colonis sensim & successivè submotis, subjugatam tenuerunt, rebusq; præclarè hinc & illinc peractis, per multa secula incoluerunt, atque posteritate & lingua, cuius etiam nùm pluribus in locis & amplioribus regnis, atq; in ipsa Turcici Imp. aula popularis usus est, compleverunt. Quamvis vero de Soraborum non minus atque de Senonum adventu, per quam difficile sit, certam epocham constituere, & quo tempore, qua occasione & modo, hasce occuparunt oras, sedesq; fixerunt firmi quid adducere: Illud tamen ex historicorum oraculis deprehenditur facilè, Sorabos nostros, præter Lusatiam superiorem & Misniam, totum hunc ad Albim & porrò ad Salam tractum ad Hercinyam usq; sylvam multos annos tenuisse, & fortiter atq; strenuè defendisse, quorum metropoles Sorbeca & Servestum, oppida satis celebria, nobisq; vicina fuerunt. Verùm ij non contenti ea terrarum amplitudine (ut est insatiabile hominis ingenium & habendi cupido)*

sed magnitudine animi, victoriarumq; frequentia elati, ex istis oris & locis, negotium subinde & indesinenter finitimus Francis, Thuringis, Saxonibus facessebãt, & ipsis periculosa & veluti perpetua bella inferebant, qui bellicosissimi hujus populi vim & potẽtiã ægrè sæpè & difficulter sustinuerũt: usq; dum Imp. Caroli Magni, Herois illius fortissimi, felicitate & virtute fracti, victiq;, vel domicilia ad Hercyniã, ad Salã, ad Albim, adeoq; hisce in locis cõstituta, deserere, vel officiorũ & religionis communicatione delíniti, miserrimæ servitutis jugum, volentes nolentes, suscipere cogebantur: Sicuti posterioribus temporibus & reliqui Sorabi atq; Heneti ab Heinrico Aucupe & Ottone Magno Imp. paulatim repressi, atq; ab Alberto demum Vrso & comprimis Heinrico Leone continuis bellis, cæsi partim & deleti, partim in extremam miseriam, uti in Lusatia, alijsq; in locis, ubi gentis adhuc illius reliquiæ hærent, videre est, conjecti, & in eorum locum novæ Germanorũ coloniæ introductæ fuerunt. Sorabis ergò hîsce in locis ita debellatis, Incolæ non linguã tantum, Germania veluti postliminio recepta, mutarunt, sed & mutato statu & gubernationis forma commutata, sub clientela primùm Imp. Rom. & sub Iurisdictione atq; potestate Saxonũ (qui & ipsi Scythæ, à Sacis populis quondã Persici regni præcipuis, oriundi, longo ante tempore maritimas Germaniæ oras occuparunt, & sedem atq; imperium laudabiliter, nec infeliciter sensim propagarunt) esse cæperunt, constituto quippe ab Imp. Carolo M. illis Præfecto generali VVitekindo Duce Saxonum, cui rerum gestarum celebritas & amplitudo Magni cognomen peperit. Et ab eo tempore sub Saxonum ditione in hodiernum usque diem, benedicente ita divina clementia, non sine insigni felicitate permanserunt: Et ut quam diutissimè, annuat & faxit is, penes quem est constituere & stabilire regna.

Hi sunt & fuerunt, auditores, hujus & vicinorũ locorũ possessores, & veri. Nec curæ preciũ duco, multis referre, nedũ refutare, qui alios & Iudæos cõprimis hic & in vicinia cõsedisse, quãdoq;,

& imperitasse, sine historiarum fide & probabili ratione cõminiscuntur. De quarum gentium vicariis mutationib. & crebris novarum successionib. non est, quod anxiè causas vel ex fortunæ ludibrio, vel ex astris, aut ex abditis aliunde & occultis causis quæramus: simus in his, similibusvè memores, quod dicitur, Βασιλῆα ἀπ' ἐθνούς εἰς ἔθνος μετάγεται, δ' ἀδικίας ἢ ὕβριν ἢ χρήματα δόλιῳ.

Iam si Historicis credendũ, ut credendum maximè, Suevorum Senonum tempestate, vel nullæ omninò vel admodum raræ in hac regione fuêre Civitates. Condiderunt quidem alibi, & postquam hoc loco cesserunt, urbes quam plurimas, easq; nobiles, & in hodiernum adhuc diem satis florentes: verum præter centum quos vocant & incoluerunt, pagos, (quos districtus intelligo) nullius, quod sciam, quam oppidi, quod ad Albis ripam situm Acken *vocitamus & Schwcinitz/ tribus hinc milliaribus distantis, mentionem faciunt, quamvis in utroq; reperias, qui aliter sentiunt. Ex quo nõ inconcinnè colligitur, auspicia huius nostræ urbis vel Sclavis-Sorabis, vel Germano-Saxonibus accepta ferenda esse. Neutra opinio caret ratione & conjectura. Qui illius sunt, moventur, quod Civitates non tantùm aliæ quæ in hoc Albis tractu reperiuntur, utpotè,* Pirn/ Dresden/ Kötzberg/ Strelin/ Brilgern/ Torgaw/ Prettin/ Dommsch/ Pretzsch/ Kosswigk/ *idiomata & vestigia Sclavonicæ linguæ referant, sed & alia circumiacentia oppida & pagi, veluti* Belzigk/ Sidouw/ Jüterbock/ Jessen/ Zama/ Trebitz/ Dabrun/ Roxdit/ Visch/ Segren/ Klitzschen/ *& longum esset, tempusq; me deficeret, si in recensendis ijs prolixior esse vellem. Vt proinde* VViteberga *hisce dicta olim fuerit* Wel *seu* Belbrod *aut* Belbrad/ *albũ trajectum (broda enim vel brada Sclavis traiectus est vel transitus) designans, à ripa fortè vel terra alba, ad differentiam pagi, sive alterius traiectus aut bradæ, quàm* Pratam *jam (alij riuiculè* Ephratam*) nuncupant, quemq; pagum trans Albim in ipsa ripa olim ortum versus, adeoq; non in eo, quo nunc loco, constitutum, à*

majoribus

majoribus accepimus. Nec infrequens est à traiectu ut dexotẽtur urbes, sicut videre est in Francofurto, Svinfurto, & quod ad rẽ nostram magis pertinet, in oppidis, quæ nostra vernacula efferimus zum Vngerischen / Behmischen / Deutschen Brodt. *Qui posterioris & sanioris sunt sententiæ, plures quidem, sed non unius sunt generis. Plerique VVittekindum, quem diximus, hanc Civitatem ducto arairo felicibus avibus condidisse statuunt, eum, inquã, qui unus ex Saxonum duodecemviris (Fuit enim horum regimen quondã Aristocraticum in duodecim toparchias, quæ postea in comitatuum titulos commutatæ fuerunt, distributum) & Angriæ Dynasta fuit, mox Rex & belli dictator, ob rara & præclara animi & corporis dona omnium acclamatione declaratus, pro religione, pro patriæ libertate, pro amicis, Cum Carolo M. Imp. tricennale illud bellum, quo Francis nullum laboriosius & diuturnius, Saxonib. verò nullum tristius fuit, ea gessit fortitudine, ea animi alacritate & magnitudine, ut nec adversa fortuna frãgi, nec vi ulla aut hostilib. armis potuerit superari. Sola comitate & mansuetudine Imperatoris, quæ apud adversarios quoq; venerabilem eum & Augustum fecerunt, emolitus, victusq; abjurata Paganismi superstitiosa fide, & religionis Christiana professione semel & ex animo susceptæ, fidei sese ejusdem commisit, eiq; fidelem semper & ubiq; cum posteris præbuit, promeruitq; ut ab ipso Carolo susceptore suo, non avita tantum recuperarit bona, sed novis cohonestatus insignib. pro nigro, albo accepto equo, & novis insuper titulis & privilegiis adauctus, Magnus Saxoniæ Dux & Soraborum Landtvoigius salutatus & proclamatus fuit. A quo tanquam Hercule Germanico, nobilissimas juxtà & potentissimas quasq; in Europa familias conditas esse, nemo adeò rerum imperitus est, qui ignorat. Sunt, qui non huic VVittekindo, sed ipsi Carolo Imper: sive quod magis, huius filio ὁμωνύμῳ laudem hujus conditæ urbis tribuũt, quasi hic devictis Sorabis, colonias deduxerit, castella & urbes. & sic etiam*

hanc, ad reliquorum Henetorum incursiones impediendas & seditiosorum furores reprimẽdos exædificaverit, ædificatamq; in monumentum fidei & operæ, sibi à VVittekindo in debellandis illis præstitæ, ipsi VVittekindo dono concesserit. Verum quando jã VVittekindus, prius & ante illud bellum, quod maxima ex parte cũ Sorabis ijs, qui Misniam tenuerunt, gestũ fuit, hæc ipsa obtinuerit loca: alij denique nec indocti, VVittekindi illium Magni ex altera conjuge Boëma, Filium VVittekindum Iuniorem dictum: qui & ipse à Carolo M. Soraborũ generalis declaratus, & Burggraviatu Zorbeccæ & comitatu VVittini insignitus fuit, οἰκοις ὦν huiꝰ nostræ urbis esse contendunt, serioq; defendunt. Hi, quid dicant, & unde habeant? in promptu est animadvertere: Sed quî in hoc Filius Parẽti sit præferendus? nõ est ita in propatulo. Fuit quidẽ Iunior VVittekindus etiam Soraborum præfectus, sed post Patrem, & secundũ ὑπομνήματα nondum bienniũ. Qui dum ad Clavum sedebat, pacata erant omnia & quieta, nulla defectionis vel ratio vel suspicio: quippe Sorabi domiti jam hoc loci & diutino parentis imperio mansuefacti, dicto superioris obsequebantur, & ipse cum subditis potestate Caroli M. gubernabatur, ejusq; auctoritate non parũ sustentabatur, re pene nulla, quantum ex historijs liquet, præclarè tunc ab ipso peracta. At verò Patris gubernationis tempore, quaqua versum sese convertebat, cuncta erant turbulenta; quisq; recentis cladis & calamitatis memor, bilem & dolorem nocendi cupidum sub pectore fovebat, iras & rixas spirabat, rebellionem & ultionem, quæ vita jucundior ipsa, minitabatur: Ideoq; cum plus tum tempestatis periculi & timoris subesset, majori opus erat præsidio & cautione. Et quid multis? Ipsorum nonnulli, qui post annales scriptos Iuniores VVittekindi partes sequuntur: vivente adhuc VVittekindo seniore castella duo, ad ripam Salæ unum & ad Albis alterum (adeoq; hoc nostrum) ad gentem Soraborum in officio retinendam, erecta fuisse, testari coguntur.

Animadvertitis, credo, quanam ex his sententia tutior sit &

verior.

verior. Rectè Livius: In antiquis, quæ similia veri sunt, pro veris accipienda. Cur nõ igitur cõmuni suffragio album addẽtes calculum, lauream in hoc VVittekindo Magno deferamus? Eumq́ non secus hujus atq́ VVittini ad Salam & VVittekindeburgi ad VVesseram conditorẽ statuamus, profiteamur? Quam & condidisse existimo, nõ, ut vulgò septuagesimo nono, sed post annũ demũ octuagesimũ sextũ, supra septingentesimũ. Vt proinde Dei beneficio steterit jam, & satis prosperè, ultra octingentos annos: & utinã eodem annuente, posthac longissimè, felicissimè.

Quemadmodũ porrò VVettinum & VVittekindeburgum, auctoris nomen & vestigia, ut & aliæ Civitates multæ, referunt: Ita & hãc nostrã ab ipso auctore denominatam, non est, quod fluctuemus: Vt si quasi VVittekindi vel VVitti (quod & ipsum nomẽ apud veteres frequens est) VVitti, in quã, burgũ, id est Castrum: sive ut ipse auguror, VVittebroda Wittebrod veluti passagium seu trajectus VVitti vel VVittekindi, paucis discriminis ergò, à vicino pago Sorabisvè, qui penitus extirpati nondum erant, mutatis, quæ postea usu loquẽdi sine ullo negotio in VVittebergam Witteberg cõmutata fuerunt, sicuti idẽ in Kotzenbroda, quæ hodie Kotzberga Kotzberg alijsvè evenisse videmus: quod evenire citius facilius q́ potuit, quam quod prò Cameracò Kammerich sicut olim, dicatur nunc Camberga vel Kemberga Kamberg oppidum nobis vicinum. Quibus eum ad modum positis, haud elaborandum multum: de Pirckheimeri, Matheſij, aliorumq́ appellationibus, & qui hãc urbẽ Alborin, Leucorin, montem Sionis, mõtem vitæ, mõtem albanum, montem album (qualẽ hic nullum videmus, & qualẽ vox Belgora Sclavonicè, & oppidum Belgern denotat) vel alio modo vocitent, nisi quis figuratè hæc & similia accipere, & cum illo loqui velit:

Dictitat Albano Musas in monte locutas.

Habetis, Auditores optimi, initia hujꝰ urbis nostræ, & à quo & in quẽ finẽ sit extructa, cujusq́ nomẽ r: ferat. Ex quo de successu ejꝰ & qualis futura, cõjectura capi potest. Indicat n. Catulus Leonẽ:

Nec

Nec leporem canis amathius; timidamq; columbam
Notus hyperboreo Falco sub axe creat.

Et sanè eventus ostendit, interfuisse ab initio urbis conditæ, & in progressu, felicitatem bonorum inceptorem adiutricem, & omnino θεὸν ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανεῖν ut est in græco proverbio. Quanquã autem longo post auspicia, tempore nihil eidem, quantum cognosci licet, accessit decoris & incrementi: multo tamen cum fœnore hoc compensatum tandem fuit. Postquam enim adolescere cæpit, titulo & dignitate sedis Electoralis Saxoniæ cõdecorata est & amplificata. Cuius rei hæc causa & occasio. Otto III. Imp. qui propter incredibilem & miram sapientiam atq; facta à se humanam sortẽ excedentia perpetrata miraculosus & mirabilia mundi cognominabatur: ubi Ius eligendi Imperatoris, adiutore Brunone Saxone agnato suo Pontifice tunc Maximo vulgò Gregorio V. denominato, ad solos Germanos transtulit, atq; sanctissimum illum & gravissimum Electorum Senatum, quo vix utilius ad summam in Imperio Rom. pacem & tranquillitatem publicam conservandam excogitari potuit, primus singulari divini numinis nutu constituit: gentis quoq; Saxonicæ, à qua oriundus erat, & quæ dignitate & potẽtia ea ætate florebat maximè, quippe ex qua Imp. quatuor successione continua prodiêre, rationem comprimis habere voluit, & idcirco votum & Electoriam dignitatem inter alios Bernhardo (vel secundum nonnullos Bennoni) Duci Saxoniæ & Lunæburgensi detulit, eamq; cum Mareschalli, splendidissimo Imperij officio, quod insignib. duos in se gladios continentib. refertur, perpetuam esse ac ceu adamantino nexu jungendam censuit. Ab hoc Electore Saxoniæ primo, sextus in ordine fuit Heinricus cognomẽto Leo, vir & belli & pacis tempore clarus, auctoritate & rerũ amplitudine cõspicuus, omnibusq; formidabilis. Et mansisset: nisi gestorũ gloria, & bonorũ abundantia elatus & fretus atq; sui veluti suorumq; immemor, insolentior factus, omnes præse æquales & in-

æquales,

æquales, seculares simul & Ecclesiasticos, adde & ipsum Imp. Fridericum Barbarossam, quantumvis ferè supplicem, contemnere cœpisset. Ob cujus facti atrocitatem, aliisq; de causis nõ minus gravissimis, ad dicendam causam, triniis prius vocatus vicibus, cum non comparuisset: Herbipoli in comitijs unanimi Procerum Imperij consensu, omni dignitate & honore, omnibusq; ditionibus & opibus exutus, publico tandem edicto promulgato, Gemundæq; repetito, proscriptus, & Germaniæ hostis declaratꝰ fuit. In quo Heinrico, vivũ habemus vitæ & fortunæ instabilis & mutabilis exẽplum: qui paulo ante utriusq; & Saxoniæ & Bavariæ Dux Dominusq; salutabatur, & universam regionẽ à maritimis Germaniæ oris ad Rhenũ usq; solus tenebat, exul modo & inops atq; ab omnibus penè derelictus conspiciebatur. Et sanè solet fortunam insolentia, & hanc casus concomitari: quem tamen & ineluctabile illud fatum excellenti eum animo sustinuisse, evincit magnanima & recitatione dignissima vox, quam extorris jam, in terra Erteneborg ubi Cæsarem cõvenire voluerat, obviam sibi factis dedit: solebam ego, inquiens, in his & multis terris dare, nõ accipere conductum: En rerum vicissitudinem. Hoc ergo ex auctorato, Electoria & ducatus Saxoniæ majestas, ab eod. Imp. Friderico, ad quem, Imperiumq; devoluta erat, cum omnibus privilegijs & dignitatibus, atq; universa hac regione & provincia Bernhardo Comiti Ascaniæ in Ballenstedt solemni in pompa Anno 118. attributa fuit: Principi tùm ob bellicam & justitiæ atq; integritatis laudem, tùm ob fidem Cæsari exhibitam, aliaq; in Patriam Germaniam benemerita, nec non propter illustrem & pervetustam nobiliss. stirpis prosapiã, longè dignissimo. Fuit enim his Magni non modo Electoris quondam Saxoniæ ex filia pronepos: sed & stemma ex antiquissima illa Ascaniorũ familia ducebat, quæ sola gentis suæ nomen & oriũ à veteribus, quos diximus, Ascanibus inter tot varias crebrasq; familiarum in Germania mutationes retinuit huc usq; & feliciter con-

ſervavit: quæ ſeculo illo ſummo fuit in flore & vigore. Avus Bernhardi, Otto, dives dictus, Comes Aſcaniæ & Ballenſtadij Marchionatum Soltveldenſem tenebat, & titulum atq; inſignia Marchiæ Brandenburgenſis ab Henrico V. Imperatore accipiebat. Cujus Filio Alberto vrſo, viro bellicoſo non minùs & felici, quã prudentia & gravitate eximio, (qui & viciniæ noſtræ, ſubſtitutis in expulſorum Henetorum locum Flandris & Geldris, Coloñÿs q; ex Noviomago & Brugis, unde & oppidulorum Nieneck vñ Brugk/ appellatio deducta; Flemingiæ nomen dedit) ſpes non tantum à Cunrad. III. Imper. de Electoratu Saxoniæ conſequendo, facta, & ea de re cum Heinrico Leone, cui poſtmodùm ſponte pactis initis ceſſit, certamen fuit, ſed & ipſe ſubſequentib. annis recuperata ab Henetis Marchia, Marchio & Elector Brandenburg. Mersſpurgi à Friderico Barbaroſſa eſt inauguratus: & in ea dignitate duodecim ex ſe illaq; familia deſcendentes, habuit ſucceſſores: A quo & noſtrates Principes Anhald. ortum & ſtirpem ducunt.

Hujus ergò Alberti vrſi filium, Bernhardus noſter, ubi ad hũc Saxoniæ Septemviratum evectus erat, inſignia non tantum mutavit, & primus trabes auratas & nigras, quas rutæ ſertum ex obliquo condecorat, ſibi uſurpavit: ſed & aulam Electoralem, quæ hactenus Luneburgi, uti Marchionũ Saxoniæ, Brunſvigæ fuit, eò, quod ditiones illas Henricus Leo ex interceſſione Soceri Heinrici II. Regis Angliæ retinuit, poſterisq; reliquit, mutare coactus fuit. Elegit igitur in ſuperioris Saxoniæ parte hanc Civitatem noſtrã & in ea ædes conſecratas, ut Impp. noſtri loquuntur, ſive inclytum palatium, ſuggerente ita Deo, poſuit, quam ſolam, quantumvis ipſa nec amplitudine, nec ædificiorum elegantia, nec civium opibus, alÿs comparare potuit, legitimo tamen ſui ſplendoris uſui, & diſciplinæ Reipubl. convenientem exiſtimavit: invitatus haud dubiè Agnatorũ vicinitate, aëris ſalubritate, nec non regionis & ſitus ipſius urbis opportunitate: quam in longitudinem propè Kipam Albis fluvÿ limpidiſſimi & nobiliſſimi, & quidem propè eã,

quæ à rivulo Misniam à Saxonia distinguente, quẽ vulgo Zschaꝛ-mulbach *vocamus, quatuor milliaribus, totidemq́ supra eum locũ, ubi Mulda, & uno distat infra eum, ubi Alestra Nigra Albim infunditur, exædificatam scimus & videmus.*

A quo tempore investituram hujus Vrbis & Vici Trebus/ *petere caperunt Electores nostri à Bamburgensibus Episcopis, ex sanctione Imp. Henrici II. cognomento Sancti, qui Reinaldo Comite Bamburgensi sine masculæ prole extincto, conjugis instinctu, Comitatum in Episcopatum Anno* 1007. *commutavit, eundemq́ majoris auctoritatis gratiæ eum ad modum communivit, ut ab eo præcipui Germaniæ Principes de feudis quibusdam adeoq́ & ipsi Electores (quorum beneficio primus ex saluberrimæ Antecessoris constitutione creatus erat) de aliquibus eorum, quæ Electorum titulo & Iure tenent, investiturã flagitarent & acciperent. Evenit dehinc, ut non cœperit tantum hæc urbs sedes & habitaculum Electorale: sed & domicilium atq́ metropolis in hodiernum usq́ diem, Deo eum ad modum providente, manserit, & eodem annuente, haud dubiè ad mundi usq́ terminũ permanebit. Quod, quale decus sit & quale ornamentum: quid attinet prædicare multis apud eos? qui id ipsum satis deprehendunt.*

Sequitur aliud, sinon majoris, juxta vetus illud, Multa idcò sunt præciosiora habenda, quod sacris dicata; certè nõ minoris beneficij loco æstimandum. Constat mortuorum funera & monumenta, religiosa semper ubiq́ & ab omnibus penè gentibus curata fuisse pietate, quibus humanæ non tantũ cõditionis memoria, secundũ Modest: ICtum nostrũ, sed & defunctorũ gloria & nomẽ, quasi humo sese, ut Maro canit, tollat, cõservatur. Imò & loci ejus, in quo humãtur, fama augetur magis & amplificatur. Quocirca ut & hãc Civitatẽ Bernhardi II. Archimarschalli posteri, redderent insigniorẽ sepultura eã Electorali & familiari nobilitarunt. Huius siquidẽ Filij Alberti Electoris, Vxor, Helena Ottonis Brũsvicẽsis

Filia, in cœnobio Franciscanorum, quod ipsa Anno 1238. proprijs hìc extruxit sumptibus & Xenodochij nunc temporis vicem obtinet, sepeliri, monumentumq; sibi poni voluit. Quam subsecuti alij, & inter eos, Albertus II. & Vxor ejus, Agnes Filia Imp. Rudolphi: Iutta Brandeburgica Rudolphi I. & Cæcilia Carrariensis Patavina, VVenzeslai, Electorum coniuges, Rudolphus II. Rudolphus III. Albertus III. & omnes hi cum uxoribus. Et quorsum omnes? Videmus coràm & hisce oculis & ex hoc loco Friderici III. & Iohannis Fratrum (quorum concordiam nec ipsa mors dirimere potuit) huiusq; Vxoris Anhaldinæ, statuas & mausoleá satis splendida & magnifica. Prætereo lubens & aliorum clarissimorum & comprimis Megalandri Lutheri & Magni Melanchthonis sepulcra: quorum accessione non secus hæc vrbs atq; Syracusa olim Archimedis ornatur clariùs & collaudatur.

Cæterum Albertus III. Ensifer, cujus modò mentionem fecimus, novarum mutationum atque turbarum in urbe & regione hac, ut est instabilis fortunæ, fluxus atq; refluxus, præbuit occasionem. Fuit is cum Fratre Rudolpho III. Elector, non adeò fortunatus. Neque enim omnes nantes in gurgite vasto, semper tam Divos habent favẽtes, crastinum ut possint sibi, & omnia fausta pollìceri. Hic, ordine mortalitatis turbato, spectator fuit mœstissimus trium filiorum obitus; quorum natu maximus Rudolphus in ipso ætatis flore occubuit, reliquis duobus VVenzeslao & Sigismundo ruina turris in arce Svenicia (miserabile) nocte oppressis. Ille in quem omnis Electoralis domus jam inclinata recumbebat, cũ recreandi animi ergò, in saltus Lochavios venatum exijsset, atque Comite uxore Offega, Cunradi Ducis Ossensis filia, in tuguriolum rusticum divertisset, ex improviso, nocturno incendio oborto, vix nudus evasit, atq; è terrore illo, morbo contracto, paucis interjectis diebus, ubi triennium nondum imperitasset, Anno 1422. rebus humanis est exemptus, nullo post se hærede, nullo successore relicto.

Quo fatali casu cum Archimarschalli & ducatus Saxoniæ superioris munus & dignitas, quæ penes Anhaldinos continua serie, ultra 227. & quidem multò longiùs, atq; Marchionatus Brandeb. quæ 170 saltem, duravit annos, ad Imperium Imperatoremq;, quartùm Iure devolutionis translata, & ad aliam jam stirpem, familiamq; transferenda esset, multi de ea maximis, ut fieri assolet, partium studiis, & æquali contentione, pariq; studio, sed impari successu concertarunt: & inter eos, Ericus IIII. Dux Saxoniæ Leoburgius, Fridericus Marchio Misnicus, Ludovicus Palatinus, & Fridericus Brandeburgensis Electores. In quo certamine res eò devenit, ut Brandeburgicus, non opinione ea, sicuti multi opinabãtur, quasi filio Iohanni, Rudolphi III. Archimarschalli quondam filiam in uxorem habenti, Electoreum ἀξίωμα deberetur: sed dissidij maioris in Imperio evitandi causa, oppidũ hoc cum adiuncta ditione occuparit, occupatumq; præsidio munierit, & incolas ad præstandum sibi Iuramentum adegerit. Verum Sigismundus Imperator re illa maturè & accuratè pensiculata, ut erat ingeniosus, & sapientia atq; iudicij dexteritate excellens, neglectis & reiectis alijs, soli Friderico Marchioni Misnensi & Landgravio Thuringiæ, suo ex Sorore nepoti, Friderici Strenui filio, & propter præclara facinora, quæ omni ætatis tempore, quam in castris exegit, potissimum, unde Bellicosi cognomẽ adeptus fuit, edidit, & propter prudentiam & integritatem eximiam, nec non in recompensam fidelis sibi contra Boëmos aliosq; præstiti auxilij, gratiã fecit, eiq; Presburgi primùm titulum & insignia Electuræ Anno 1424. tribuit, insequenti verò Budæ investituram, ac eius denique possessionẽ cum omnibus privilegijs & ditionibꝰ pertinentijsq; singulari virtutum ipsius cum testificatione per Iudicij Imperialis Præsidẽ, Comitem Ioan. à Lupffen publicè & solenniter tradere voluit: Ea tamen addita cõditione, ut Brandenburgensi impensas in occupãda modò regione nomine Imperij factas, refunderet atq; restitueret.

Quæ Imp. Sigismundi concessio, quantumvis libera, legitima, & justa fuit, nõ deerant tamen tunc temporis, & fortassis, nec adhuc desunt, qui taxare eam, & reprehendere, imò calumniari et injustitiæ accusare audent; Quasi Erico Lauenburgensi, qui Alberium ultimum Anhaldinum decimo linea inæqualis gradu attingebat, iniquè, nec citra injuriã prælatus fuisset Fridericus. Sed non est rara in terris avis, ut homines, qui ad dissentiendum magis & reprehendendum quam bene agendum & bene dicendum natura proniores sunt, quævis optimè cogitata & facta, in deteriorem trahant partem, & de quibusvis non nisi sinistrè sentiant, & loquantur. Proinde nisi lite jam peremptæ, actum agendo, post Roscium saltare videremur, nullo negotio demonstrari & solidè evinci posset: Ericum illum IIII. non secus atq; hujus Avum Ericum II. qui Rudolpho II. Electori, de Iure Electionis, &, ut Fabric. notat, etiam successionis controversiam movit, justè exclusum esse, neq; protestationibus, quæ ultra centum annos interposita dicuntur, quicquam efficere debuisse nec potuisse. Quomodo enim de iniquitate, de injuria conqueri poterit is? cui in ditione litigiosa nihil rei vel spei, nulla Iuris persecutio, nullaq; cõpetebat actio: qui in re feudali, in qua omnis legitima exulat successio, nec ulla agnationis, deficientibus pactis, ratio haberi solet, nunquam ritè & solenniter, nunquam secundũ Imperij leges, consensio Feudi domino investitus, simultaneamve investituram adeptus fuit, aut si adeptus, rursus tamen ead. ob legitimo tempore non repetitã & renovatam indignum sese reddidit, semetq; ipsum propria ex culpa privavit. Cur ergò non liberum, licitumq; erat Imperatori Iure suo uti, & feudũ ad se Imperiumq; omnibus cũ dignitatibus & cohærentijs jure consolationis, ex tenore aureæ Bullæ, devolutũ, ad beneplacitũ, ad lubitũ, cuicunq; voluerat adeoq; vel Principibus Anhaldinis, quos Rudolphus, quos Albertus, tertij, successores exoptabant, vel ipso Friderico concedere? cuius maiores Comites Palatini Saxoniæ fuerunt, & originem simul & gentẽ à Vvittekindo Ma-

gno,

gno, Magno illo Saxoniæ quondam Duce duxerunt. In quo egregium divinæ providentiæ habemus exemplum: dum eum ad modum avitus ille Ducum Saxoniæ honor, & titulus, Septemvirali dignitati indissolubili nexu junctus, qui Imperatorum Saxonicorum electione & morte, ad alienigenas & ad quatuor peregrinas insititias q; familias ultra trecentos triginta annos iam evagatus erat, ad legitimos tandem hæredes, ordinante Deo, ad VVittekindeam progeniem, iure postliminij revocabatur.

Etsi verò Fridericus ille, propter acquisitam sibi suisq; posteris hanc præeminentiam, multorum incurrerit invidiam, bonorum & fortuna pedisequam: felicitate tamen superavit eam & virtute, qui de omnibus, & nõ minus de literarum studijs, quam Republ. benè mereri studebat, & optimè promeritus fuit: Cuius rei inter alia evidens hoc documentum: quod Academiam Lipsensem instituerit & ex ruinis Schola Pragensis adornarit: Ex quo facto, quantum Germania, & comprimis Respubl. literaria perceperit emolumenti? quid opus est enarrare. Certè, si verum fateri velimus, ut fatendum maximè, eiusdem inauguratio fatalis planè & exoptatissima fuit, qua haud parum decoris & commodi huic regioni & Civitati accessit. Hoc enim ipso, Marchiones Missnie & Landgravij Thuringiæ, Principes & pacis & belli tempore laudatissimi, spectatissimiq; neq; ullus rerum gestarum celebritate & amplitudine secundi, administrationem & tutelam defensionemq; huius urbis & eo pertinentium susceperunt primùm, susceptamq; summa cum fide, alacritate & dexteritate miracõprobarunt: Quorum interventu, & in tutela postea hæc loca domus Hassiacæ, nec non denique Brandeburgica esse cæperunt. Quandoquidem cum Friderico II. Placido dicto, Filio & Successore Friderici Bellicosi tanquã Duce & Electore Saxoniæ, unio hæreditaria & pactũ gentilitium, quòd fraternitatem vulgò nuncupant. Anno Domini 1433. *renovátum fuit, primitùs inter Heinri-*

cum Marchionem Misnensem illustrem cognominatum & Sophiã Ludovici Landtgravij Thuringiæ filiã, Brabantino nuptã, eiusq; filium Heinricum approbante Rudolpho I. Cæsare Anno 1262. *initum: quo novẽnale bellum, de avunculorum eorum in Thuringia & Hassia (quæ provinciæ aliquot seculis penes unum fuêre) sine masculo hærede defunctorum successione exortum, ea demum conditione sopitum fuisse legimus: ut Heinrico Misnensi Thuringia, alteri verò Heinrico Hassia relinqueretur, & ut ipsi sese mutuo, si quid hostile metuerent aut paterentur, defenderent, et deniq; ut sibi, alterutra familia mascula extincta, in principalibus ditionibus instar fratrum invicem succederent. Quod mutuum defensionis & successionis fœdus novies referente Zas. postmodum ratificantibus illud Imp. Carolo IIII. Sigismundo, Friderico, Maximiliano repetitum, & tandem, cum bellis Germanicis aliqua ex parte interruptum deprehendebatur, sub Electore Augusto, inter duces Saxoniæ, Landgravios Thuringiæ & Hassiæ atq; Marchiones Brandeburgenses, qui eidem sese salvis tamen pactionibus cum Ducibus Pomeraniæ prius circa annum* 1457. *initis adjunxerũt, Neoburgi ad Salam unanimi voto restauratum, & solennis Iurisjurandi religione confirmatum, nec ita dudum novissimè recapitulatum fuit. De quo est, quod gaudeamus, nobisq; cõgratulemur, dum illæ nobilissimorum Principum familiæ, quæ robur militare in hac Germaniæ parte præcipuum tenent, arctissimo illo vinculo conjunctæ, si junctæ concordesq; maneant, omnem hostilem vim sustinere facilè, & potenter propellere possunt, satisq; præsidij & firmamenti contra aliorum impetus & machinationes habent. Salutarem itaq; eo ipso nec rem novam neq; insolitã aggressi fuerunt, sed multis ab annis receptam & antiquis placitam. Quare licet reperias Leiuleios quosdam acutos & ingenioso s (si Dijs placet) qui contra hæc pacta familiaria & maxime hæreditaria, quasi impia & contra bonos mores, atque alterius mortem, hæreditatemq;*

temq; inhiantia, ex professo insurgunt, eaq; omni telorum genere oppugnare & in universum nec juramento communita, vel aliàs debito modo à superiori confirmata, reprobare audent: Frustra-amen currunt & nugas agunt; atq; ipsi miselli, dum in sole ver-santur, cæcutiunt, neq; solem ipsum, & quid Iuris certi sit & hactenus observatum, vident: Et cui ignota sunt mutuæ successionis fœdera inter Ducem Slesvicensem & Comitem Schaumburgēsem olim inita? quorum invitu Otto Schaumburgensis Christiano I. Regi Daniæ ius suum in Holsatia & Stormatia cessit. Inter Rudolphum Cæsarem & Ottocarem Regem Boëmiæ: Inter Matthiam Vngariæ, & Vladislaum Boëmiæ Reges, de hæreditaria in Silesia successione: Inter eundem Matthiam & Fridericum III. Imp: Inter Imp. Maximilianum, Vladislaum Boëmiæ & Vngariæ, Sigismundum Poloniæ Reges, vigore quorum Ferdinandus Archidux Austriæ in Boëmiæ & Vngariæ regnum successit: inter Saxoniæ Duces & Principes Hennebergenses, quorum felicitate illi Principatum hunc successione obtinuerunt. Sed quid me fatigo? in referendis exemplis, quæ nec omnia referri possunt, nec hoc tempore debent, aut in refutandis illis, qui nervosè satis & solide iam ante à Dec. Alex. Zas. Hottom. Boer. Tessau. Gail. Schrad. aliisq; refutati sunt & debellati, atq; omnibus armis exuti.

Proinde relicto hoc diverticulo, in quo longius quam volueram, immoratus fui, ut vestri habeam rationem, ad alia huius urbis ornamenta propero: Vbi statim sese offerunt, & in promptu sunt illa, quib. Fridericum III. Elector, Sapiens dictus, & verè Sapiens, cumulatissimè eam affecit: Hunc si alterum eiusdem conditorem & parentem vocaveris, non errabis. Optimus enim Princeps, quem Maximilianus Cæsar, Imperij locum tenentem perpetuum esse voluit, & qui post mortem eiusdem concordi reliquorum Electorum suffragio Francofurti Rex & Imperator Romanorum electus, ius & dignitatem illam Carolo V. Imperatori à quo

patriæ nomine semper honoratus fuit. Sponte & ultrò detulit, nihil prætermisit, quod ad cohonestandam & amplificandam hanc civitatem pertinere videbatur. Ædificia si spectes, ædificavit alterum cœnobium Augustinianum olim, at nunc temporis, munificentia Electoris Augusti auctum, & amplioribus ædificijs in usum Stipendiariorum adornatum, Augusti Collegium denominatum. Ædificavit & Collegium, novum indigetatum, quod laboribus Theologicis, Medicis & Philosophicis dicatum, amplitudine & capacitate nulli cedit. Cõdidit præterea regio penè sumptu arcem hanc occasum versus, ea structura & elegantia, qua etiamnum conspicitur: Et hanc ipsam ædem arci contiguam (cuius fundamenta prius Rudolphus II. Septemvir circa annũ 1360. *posuit, & Cathedralem esse, atque omnibus sanctis consecratam voluit) de novo extruxit, & pavimento è marmore Rochlitiano inducto, alijsq; structuris in tantum exornavit, ut illo opere addecorum & altitudinem vix existat pulchrius & splendidius. Ripas præterea Albis, ligneo ponte junxit, & civitatem hanc incendio deformatam, turrib. muris, aggeribus, vallis fossis ita armavit & communivit, ut fortissimi propugnaculi jam habeatur loco. Quæ omnia, cum veteribus ædificijs, si conferre velles, nulla eorũ collatio esset. Verũ enimverò illud cæteris præclarius longè & omnium præcipuum, quod in hac urbe ludum, studiumq; ut vocãt, generale aperire, & nulla habita impensarum ratione, Academiam magnificè fundare voluerit. Commune est diverbium & verum: Sapientiam & judicium cum ætate crescere. Quod si de hac quoq; civitate proferamus, haud ineptire videbimur. Sunt enim ut hominum, ita & civitatum, teste Seneca, tempora & fata. Quomodo verò sapientia magis instrui & judicio meliori rectiori informari potuit? atq; hoc Lycæo, publicaq; Schola hac extructa? Quæ cuius impulsu, quibus medijs, ad cuius normam & formam instituta: quomodo ipso die Lucæ Anno Ch.* 1502. *introducta, quibus privilegijs, reditibus, beneficijs adaucta fuerit, quot &*

quibus

quibus Professoribus hactenus stipata: nil attinet in præsentiarũ recensere: sunt fortè hæc notiora multis, quam ut tradi debeant, & ab alijs ante sæpius decantata & commemorata: Et memini ante biennium ea de re aliquid à me hoc ipso in loco prolatũ fuisse. Illud solum addo, & affirmare audeo: Si hanc Academiam cũ alijs tàm veteribus quàm recentioribus, quæ passim non paucæ laudantur nobilissimæ, conferas, nulli vel utilitate vel celebritate secundam tertiamvè invenies. Habuit quondam Persia in scholis suis Magos, AEgyptus Sacerdotes, India Gymnosophistæs, Græcia Sophos, Italia Philosophos, Gallia Druydas: Sed habuit & ipsa Germania suum Hannibalem: & nos habuimus Sacerdotes, Magos, Gymnosophistas, Sophos, Philosophos, quorum studio & indefesso labore, ex hoc ludo tanquam ex equo Trojano exiêre in omnem penè terrarũ orbem, innumeri Principes doctrinæ & virtutis eximij, qui & in Republ. & in Scholis clari semper & illustres fuerunt habiti: Ex quibus tamen omnibus, nec dissimilandũ aut reticendum, palma debetur meritò viris incomparabilibus Martino Luthero & Philippo Melanchthoni, quorum potissimùm cura & coniuncta opera, industriaq; fideli hæc urbs Scholave consecuta est celeriter atq; feliciter & favorem & auctoritatem, & eapropter mirum in modum crevit, & celebrari, nec non ex diversis locis ab omnibus nationibus Europæis frequentari cœpit.

Accesserunt porrò huic oppido temporis progressu & alia adminicula neutiquam contemnenda, sed multum suscipienda: Et inter alia Episcopalis sedes sive generalis superintendentia, ut loquuntur vulgò, ac inspectio omnium in Electoratu Saxoniæ Ecclesiarum, quæ superioribus temporibus Episcopo Brandeburgensi maxima ex parte subiectæ erant. Quod & ipsum sapientissimi illius Friderici opus est, à se post reformatam religionem, decretum, & reliquis, colophonis loco additum.

Ordinata insuper hoc loci sunt iudicia certa & solemnia: in quibus iustitia ex æquo omnibus sine ulla προσωπολατρείᾳ administratur: Quo instituto, ad dirimendas controversias motas nihil utilius, nihil ad pacem publicam conservandam aptius. Est enim justitiæ administratio Reipubl. sustentaculum & fulcrum, atq; secundum Gorgiam ψύχη πόλεως: sine qua, nec ulla domus, nec civitas, nec gens, nec universum genus humanum stare: imò nec ipse Iupiter (si cum Plutarcho loquendum) principatum rectè sustinere potest. Huius intuitu apud Scythas quondam Dioscuri as: apud Græcos Amphyctiones: apud Hispanos consilia: in Gallia Parlamenta: in Italia rotas constitutas reperimus. Quocirca ut & in hoc & vicinis locis eiusdem iustitiæ maior haberetur ratio, eaq; & oax se invicem deoscularentur, Iohannes Elector, Friderici illius Sapientis frater, cuius in asserenda & propaganda purioris doctrinæ veritate incredibilis constantia, unde & constãtis cognomen obtinuit, omnem terram admiratione complevit, in hac urbe, quam & in ea efflorescentem Scholam nõ minori fide & cura atq; antecessor complexus fuit, curiale iudicium, sive curiam provincialem iusto præscripto tramite, legibusq; certis ad citius sopiendas lites definitis, qua confirmata subinde & locupletata sunt, Anno 29. supra 1500. instituit, & ut singulis trimestrib. à certis eiusdem assessorib. puta 7. ex equestri ordine, & 5. ex doctorib. Iuris, omnib. viris auctoritate, doctr.na & prudentia spectatis, haberetur, mandavit. alio præterea eidem & extra ordinario, quod Scabinatum nuncupant, adiuncto, in quo à Solis Iuris antecessoribus, quotidiè Iuris nodi & legum ænigmata, dubitaq; causarum fata solvuntur & dijudicantur: & ex quo, non minus, atq; à Collegio Iuridico, tanquã ab arce seu templo Iustitiæ, ex omnibus Germaniæ angulis, tàm in civilibus, quàm criminalibus contentionibus & causis, ijsq; arduis & cõtroversis, sententiæ, decisiones, consilia petuntur, & fideliter communicantur. Quem judicãdi mo-

dum Quintilium Varum Romanum, Augusti Cæsaris Ducem, in Germania primitùs citra annum Christi decimum, introduxisse non desunt, qui statuunt: A quo quantum Reipubl. quantũ consulentibus, & litigantibus afferatur commodi, nihil refert, prolixè ut inducatur, res & experientia rerum magistra, abundè id, & satis superq; evincit.

Additum superioribus duodecim post annos iudicium Ecclesiasticum seu Consistoriale, ut vocant, ubi negotia Ecclesiastica & causæ matrimoniales totius Electoratus Saxoniæ tractantur & expediuntur, ex voluntate & instituto Iohannis Friderici, Electoris, eius inquam, qui singularis pietatis & magnanimatis, cuius ergò & Magnanimus cognominatus est, exemplum toti posteritati reliquit illustre, & qui gloriam avitam & laudem paternam tanquam per manus traditam, suo etiam cum periculo conservare studuit. Quod cõprobavit clarissimè, eo in bello, quod cum Carolo V. Imperatore, pro religione, pro amicis, pro subditis, pro patriæ salute, fortiter gessit, licet minus feliciter eidem successit. In quo bello, etsi & hæc ipsa Vrbs, quam Carolus Imperator invictissimus cum Fratre Ferdinando Rege, deditione cæpit, in summo versaretur periculo, hoc tamen prospiciente Iehova, Mavortius ille Mauritius Germaniæ Achilles inclytus, & Saxonica familia decus singulare, ad quem summa Electoralis delata tandem fuit, virtute & industria avertit. Hic Scholam bellicis jam tumultibus & obsidione dissipatam, repentè restauravit. Civitatem & regionem hanc universam, ab omni belli impetu & mole, illo & subsequenti tempore, defendit, defensamq; clementer gubernavit. Quam & frater Augustissimus ille Augustus Heros glorioſissimus, Pater quondam Patriæ, nec non huius Filius Christianus, verè Christianus, Princeps excelsi animi, nec unquam satis laudatus, & Pientiſs. Proëlector Dominus noster clementiſsimus, protexerunt hactenus benigniſs. & plus quàm paterno frequenter

prosecuti fuerunt favore, immunitatibus etiam, & privilegijs abundè dotarunt, regiaq; penè munificentia auxerunt, amplificarũt, locupletarunt. Hæc singula & universa, si quis paulò altius secum pensiculaverit, in promptu habebit, celsissimam Saxoniæ domum ceu nutricem & altricem literarum liberalissimam, tam confertim ornasse, tam firmus urbem hanc Scholamq; communivisse præsidijs, tamq; multis pariter affecisse ornamentis, quæ vix ac ne vix quidem ullam in aliam cumulatim collata deprehendi poterunt, quorum famã & memoriam nulla delebit oblivio, nulla obscurabit vetustas, sed ea semper in extremum usq; diem concelebratura permanebunt.

Quæ omnia licet per se summa censenda sunt, ut reipsa sunt, unicum tamen adhuc superest, quod omnium maximum & multò præstantissimum, neq; superioribus comparandum, quod vel solum omnes in sui rapit admirationem, urbemq; hanc & Lycæum ad cœlum usq; extollit, quod non hominibus sed solius potissimùm Dei misericordiæ & benignitati est attribuendum: quod videlicet ex hoc ipso loco accensa fuerit scintilla veræ lucis Evangelicæ doctrinæ, quæ paulatim magis magisq; adaucta, in clarissimũ sese jubar, longè lateq; diffudit, tantumq; virium accepit, ut Germaniam non solum & Europam, sed omnem adumbravit terrã, quæ nullo martyrum profuso cruore, quæ nullis proscriptionibus, exilijs, igne, ferro, nullis hostium minis & factis, nulla vi & potentia restringi & prohiberi potuit, sed quo magis pressa, vitaq; cum dispendio & multo sanguine obsignata fuit, tanto crevit citius, & palmæ instar ampliata conspicitur. De quo paucissima, si adjecero, finem perorandi, ne vestra abuti videar bonitate, faciam. Non ambigo posteritatem Noachi in Germania, & porrò hisce finitimisq; in locis veri Dei cultum instituisse, & comprimis, ubi venit plenitudo temporis, incolas earum terrarum aliquem veræ religionis gustum percepisse, & insincera omnipotentis cognitione

imbutos fuisse: Non quidem, quod Petri discipulos Martialem, Maternum, Eucharium, Valerium: ut & Pauli, Crescentium, Marcum, quorum & ipse in Epistola ad Timotheum meminit, ejusq; Comitem Clementem in Germania, imò & Nathanaëlem, cujus Salvator noster apud Ioan. mentionem facit, circa Erphordiam: sicuti Egistum, in inferiori Saxonia, aliosq; Evangelizasse referant: sed quod sacra pagina testetur exiisse sonum Apostolorum in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum; & ipse gentium Doctor alibi profiteatur, suo tempore verbum veritatis Evangelij in universo mundo fuisse & fructificasse & creuisse. Verum quàm altè radices apud eos egerit, & quam constanter & fideliter illud amplexi fuerint, res & eventus, subsecutæq; varia & gravissima persecutiones, quibus justi probantur, ostenderunt: ubi succedentibus temporibus, ductore & suasore Diabolo ejusque organis, in eam redacti fuerunt insaniam, in eamq; idolomaniam prolapsi, ut derelicta invisibilis Dei invocatione, & abiecta eiusdem cognitione, ad mundana se convertendo, visibilem Deum in mundo quæsierint, sibiq; Deos pro lubitu finxerint, Pro ipso Creatore, res creatas, Solem, Lunam, & quod turpius dictu, quod ipsi fecerunt, quod manibus palparunt quippe fabricam & Idolum Martis Martisburgi: Parthenia seu Veneris, Magdeburgi: Triglæ vel Dianæ, Brandeburgi, Iuterbocæ Auroræ adorarunt, coluerunt, & ad exemplum atq; imitationem Romanorum, Iovem, Neptunum, Mercurium, Apollinem (in mõte nostro vicino Polnsberg) alios q; sibi fictos Deos Deas q;, imò & equos (quos sacros & ἁγίους, undè oppiduli duobus hinc miliaribus distantis zum Heiligen nominatio, sed falsò autumabant) devotè & sanctè sunt venerati. Et in summa, illo, Soraborum præsertim seculo, nihil Idolorum fertilius fuit, nihil pietate sterilius. Quæ vanissima Paganismi superstitio & abominabilis divini cultus atque numinis contemptus & abusus, etsi Caroli

Magni

Magni & VVittekindi tempestate, ad Christianismum, ut loquũtur, Saxonibus & horum locorũ inhabitatoribus, conversis, multum emendatus, nec non in universum abrogatus fuerit, ab omni tamen malignitate haud fuit repurgatus. Et quid dico repurgatus? dum miseri ac deplorandi, vitare Charybdim voluerunt, in Scyllam inciderunt, & denuò Monachorum impostoris obcœcati, in novas & aquè perniciosas, si non peiores, Idolatrias abrepti, in profundissimam caliginem & tenebras cimmerijs atrociores sunt submersi. Pro vivo Deo trino & uno varios multiplicesque mortuos, quos sanctos existimarunt, sibiq; pro lubito excogitarunt, eorumq; statuas & imagines adorarunt: Pro Christo Pseudochristum Papam Romanum, meretricem illam Babylonicam, cũ suis impurissimis squamis & scutis honorarunt. Nihil ferè certi in vera religione, in vera unius Dei agnitione, nihil sancti reliquũ habebant: omnia mundanis & vanis traditionib. adulterata somnijs & figmentis conspurcata fuerunt ab illis, quibus erant

Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, Cœlum venale, Deusq;.

Donec ex immensa Dei bonitate iterũ venit plenitudo temporis, quo alter Elias Divus ille Lutherus excitatus, pio studio & singulari planè atq; plus quam heroica animi magnitudine, instinctu, ductuq; Spiritus Sancti ausus fuit, hoc ipso in loco, sese Antichristo Pontifici Romano opponere, & mira dexteritate errores ejusdem, propositis ab initio, & popismi instar, in hac ade, & in hisce, quas videmus, valvis, ante 80. *annos affixis propositionibus, taxare, refutare & in melius reformare: Nec ausus tantum, sed magno & excelso spiritu atq; imperterrito Heroici pectoris robore, alijsq; ingenij & doctrina, nec non eloquentiæ donis, ad tantum, tamq; arduam rem peragendam necessarijs, armatus & animatus, invictissimus perstitit, atque felicissimis successibus eventuque exoptatissimo, victoriam tandem multorum cum salute reportavit, abrogata in hoc templo primùm,*

effluxis jam annis tribus & ſeptuaginta, miſſa Papali, quæ Cor Papiſtarum dicitur, eorumq́ religione abjurata. Ex quo ſordes & horrenda atque blaſphema ſectæ Pontificiæ deliramenta, detecta non tantum, & omnibus, totiq́ Chriſtiano orbi manifeſtata, atq́ ob oculos luce meridiana clarius expoſita ſed & oppreſſa penè & extincta, ac profligata ſunt univerſa. O mira, ſemperq́ miranda, ſemperq́ amanda divinæ propitiationis benignitas, ô rarũ felicitatis exemplũ, ô factum ſtupendum & beneficium inenarrabile, quo paternè nos Deus Opt. Max. miſericordiæ ſuæ oculis aſpicere, atq́ ita beare voluerit, ut ex limpidiſſimis Iſraëlis fontibus, puriſſimũ jam verbum divinum haurire, & ex ijſdem fidem noſtram tutò informare & confirmare, ipſumq́ trinum & unum rectè agnoſcere, atque devotè & piè invocare valeamus. Noſtrum jam eſt, noſtrum, inquam eſt, ut grato hæc & alia in nos ipſos, in Scholam hanc & literariam rempubl. atque in patriam Germaniam collata χαρίσματα agnoſcamus animo: ſpartam, quam nacti ſumus, ſummo cum ſtudio & cura ornemus: talentum nobis demandatum fideliter aſſervemus, depoſitum verbi DEI ſanctè cuſtodiamus, atque veritatem ſemel agnitam, inq́ comitijs profeſſam, incorruptam tueamur, defendamus, propagemus, nec ullis blanditijs ineſcati, & argutijs deliniti, nedum minis perterriti, ab eadem nos abduci patiamur. Cavendum præterea & in eo elaborandum ſedulò, ne ubertas ſatietatem, nec abundantia faſtidium pareat, ne puriſſimos veræ doctrinæ fontes aſpernantes, mundana ſpectemus, ad vomitum redeamus, atque nos ipſos præcipites demus. Verbo divino credendum & inhærendum, nec ſpeculationibus aut traditionibus humanis indulgendum, neque ijs, quæ in mundo, & de mundo ſunt, confidendum. Proinde ita vivamus, ita nos præparemus: oportet, quaſi in mundo non

simus: ut spe fidei & fiducia solius Filij Dei bona cum conscientia ex hoc mundi ergastulo, ex hoc trajectu, vitæq; transitu, in alium mundum & patriam, in æternam aliquando vitam transire & trajicere queamus: Nam

Vita quid est hominis? nisi transitus, omnia finem

Quæcunq; immundus mundus honorat, habent.

Transit honos, virtus, fortuna, potẽtia transit:
Mente Deo similis, corpore transit homo.
Transi vêre Patres, simul hinc transibimus omnes,
In cœlo patriam, qui bene transit, habet.

ORATIO SECULARIS

SCRIPTA

Ab

ADAMO THEODORO SIBERO

Orat. P.

QUas mihi dicendi partes imperare sacro isto tempore, atque imponere pietas debuit, eas aut ad nostrorum hominum expectationem, & judicia exigere, aut ad insectationem, & calumnias adversariorum revocare voluissem: nunquam profectò. Auditores, pedem in hunc locum tulissem. Quanquam de istorum amentia laborare, se ipsum foret vecordiæ condemnare. Postquam enim veritatem ipsam doctrinæ cœlestis mendacijs obliterarunt, erroribus fœdarunt, fraudibus implicarunt, & tyrannide barbara, ac sacrilega è divina Ecclesia profligarunt: mirum videri nemini debet, si quæ veritatis illius cultores dicant, aut faciant, non solùm ludibrio, atque irrisui habeant, sed diris etiam defigant, sed flammis etiam lustralibus, si Februo placet patri ipsorum, exurant. Nos verò, divina gratia, eo & animi robore, & ingenij vigore sumus, ut illos superstitionis plus quàm nefariæ, & gentilis artifices, atq; amissites, nullo vicissim loco, ac numero ducamus. Illud potiùs, Auditores optatissimi, illud animũ meum varijs curis distrahit, nec in ulla certa cogitatione consistere facilè patitur, ecquod tandem orationis argumentum huic solennitati comparare queam,

quod nostrorum hominum expectationi, si non omni, at aliquæ saltem ex parte, respondeat. Meministis enim certè, quæ fuerit his proximis diebus, ac mensibus de præsenti tempore, in hoc loco, sermonum frequentatio, quæ percontationum, scisciationumq; turba. Quid autem putatis alibi cogitari? Cogitari dico? imò quid nõ expectari, postulari, exigi? quòmaiore animi provisione opera nobis danda est, ut illam spem, & expectationem tantam res ipsa, & satisfactio consequatur. Tametsi quo modo id fieri queat, parum equidem, ita mihi optata contingant, video. Vt enim ingenij cuiusq; aut cultus est, aut captus, ita aliorum iudicio normam præscribere, ac modum eruditioni imponere non dubitat. De quo tamen germanus Orator dicendi rationes suspensas habere non debet: ac iubere potiùs animadvertere priùs quemque, quid sit illud, quod in dicendo deceat, id quod etiam in vita reliqua & primum est, & summum, quam ut censuram, sine rectè intelligentium suffragio, ulrò sibi decernat. Ego autem, qui in optima dicendi ratione, in qua assiduè versor, nondum eos progressus fecissem, quibus ipse mihi in omni dictionis genere dux esse possem, ita Rhetores nostros accessi, à quibus, quid in huiusmodi argumento sequendum esset, discerem. At boni illi doctores nihil, quod præciperent, habebant, Adij Oratores ipsos; at ne hi quidem magistris illis in hac parte disertiores erant. Tandem igitur Historicos, ac Poetas excussi, si quid illi fortè adjumenti suppeditarent, Atque ecce, reperi ibi, & vel in primis in Pindaro illo Romanorum Horatio, quod nos si non penitùs instruere, & erudire, at commonere tamen, ac dirigere aliquantum possit. Quò indulgentiorem veniam deberi mihi, ac pleniore à vobis manu tributum iri cõfido, si in hac nova, atque ante hunc diem inusitata, & ex hoc loco fando nunquam audita dicendi materia, non usquequaq; vel vobis, vel mihi etiam ipsi satisfecero. Quicquid tamen ar-

gumenti huius insolentiæ, ac novitatis est, operam dabo, ac fortasse præstabo quoque, ut si nulla alia re, certè orationis brevitate, & quadam, ut spero, etiam dexteritate & mihi, & vobis satisfaciam. Vestrum est, Auditores humanissimi, non solùm auribus, sed multò magis animis adesse nobis, & quæ prorè nata, & concessa ingenij, ac iudicij copia dicentur, bene, benignè, & arbitrari, & accipere. Igitur, quod bonum, faustum, felix, ac fortunatum sit, hic dies festus, atque auspicatus orbi illuxit, qui huius Academiæ V Vitebergensis seculum primum condit. Seculum autem appellarunt Romani tempus, sive centum decem annorum, ut est apud Sibyllam, & Poëtam, quem diximus, lyricum, sive duntaxat centum, quòd alij maluerunt, & non sine ratione sequendum nos censuimus, idq; ea de caussa, quòd longissimum illud spacium senescendorum hominum existimarent; unde etiam præconis voce populus invitabatur more solenni ad eos ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: nominatum sive à senendo, ob eam, quam diximus caussam, sive à sequendo, propterea, quòd alterum seculum sequatur, atq; excipiat alterum, perpetuò anfractu in se revolutum, sive potiùs à secando, eò quòd motus certis temporum præscriptionibus secetur in partes. Inde dicti sunt ludi seculares, instituti primùm à Pub. Valerio Publicola, & centesimo quoq; deinceps anno à Quindecim viris instaurati, omniq; apparatus genere, sacrificiorum, supplicationum, lectisterniorum, pervigiliorum, spectaculorum etiam tum Circensium, tum scenicorum, tribus diebus, ac noctibus, celebrati. Itaq; & sacra faciebant, & victimas mactabant, & lectisternia frequentabant, & populo piamina dividebant: tum ludos varios celebrabant, & certamina gymnica, Musica q; edebant: præterea in Circo Maximo aut campo Martio quadrigarum agitationes, equorum cursus, Troiæ lusum, munera gladiatoria,

bestiarum venationes, elephantorum pugnas, navales, ac terrestres velitationes, oppidorum expugnationes, & alia deinque id genus spectacula exhibebant. Inprimis autem canere solebant tertio demum die, ter noveni pueri prætextati, totidemq; puellæ, patrimi omnes, ac matrimi, Græca Romanaq; lingua hymnos, quibus incolumitatem, & salutem populi Rom. dijs suis commendarent. Cuiusmodi hymni extant hodieq; apud Catullum unus, apud Horatium tres, eorumq; postremus longe pulcherrimus, ac luculentissimus, quum ludos seculares Augustus Cæsar arbitratu suo, non suo tempore edidisset, hoc est, post pugnam Actiacam, in honorem præcipuè Apollinis, quòd putaret, se eius præsidio victoriam ab Antonio, & Cleopatra reportasse. Atque hæc pauca animi caussa, sed ut spero, neq; inepta, neque inerudita, ac ne protrita quidem ex antiquitatib. Romanorum, quibus, post Græcos, humanitatẽ, ac literaturam omnem debemus, repetere visum fuit, quibus scilicet aditus aperiretur ad eius orationis auspicia prosequenda, quæ festivitati huic nostræ seculari quàm proximè conveniret. Quos igitur ludos parabimus nos, aut quæ munera edemus? sanè pro magnitudine atque opulẽtia imperij illius, proclive fuit Romanis, magno numero dare non modò elephantos, leones, tigrides, alces, hyænas, camelopardales, sed hippopotamum etiam, & rhinocerotem, tum mille paria gladiatorum, quod de Philippo Imperatore legimus. Verùm quæ potuit esse homini politico, ut rectè, & gravissimè ait Cicero noster, delectatio, quum aut homo imbecillus à valentissima bestia laniaretur, aut præclara bestia venabulo transverberaretur? quid porrò delectationis habeat sexcenti muli in Clytæmnestra? aut in Equo Troiano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quis denique athletas desideret, cui gladiatores contemnendi sint? itaque fuerint istatum magnificentiæ

uiusdam incredibilis ostentamenta, tum insaniæ certè partim idendæ, partim etiam damnandæ manifesta fuerunt argu-nenta: nobis tã beatis, & opulentibus esse non licet Quanquam quod ad ludos scenicos, atque etiam musicos attinet, habet quisque in tot Gracis, & Latinis Poetis, inq; ipsis potissimùm ragicis, & comicis, Æschylo, Euripide, Sophocle, Aristo-hane, Terentio, Plauto, quo & ocium suum oblectare, & ani-nũ honestissima, purissimaq; voluptate recreare, & ingenium ipsum prudentia, ac doctrina civili ornare luculenter possit, ita ut illis ex Hetruria ludionibus, ipsoq; adeò Roscio, & Am-bivio carere æquo animo possit. Ac vult aliquis nostrum videre spectacula illa Circensia, aurigarum factiones, equi-um procursiones, athletarum luctationes, ipsas præliorum de-pugnationes, urbium obsidiones, atque excidiones? Pindarum legat, Homerum legat, Virgilium legat: ibi in rem multò præsentiorem, atque apertiorem veniet, quàm si Romæ coram præsens ipse in illo genere fuisset. Neque tamen non agones & ipsi gymnicos habemus, non quidem quinquertium illud, quo cursu, lucta, pugilatu, salitu, disco, & certabant, & vince bant, in quibus tamen opera, & oleum non modò Cn. Pompeio Magno perierit, sed omnibus, qui se ad magnas, & serias res, tum spectandas, tum exercendas natos esse memine-runt. Producemus igitur nos die crastino, quod Reipub. be-ne vertat, triginta paria, & quod excurrit, virorum ac ju-venum, virtute, & eruditione iuxta spectatorum rude qua-si philosophica donandorum, & jure aureorum annulorum ac laurea doctoria cohonestandorum. Hæc nimirum, Au-ditores, illa præclara, illa gymnasio nostro dignissima arena est, in quam vera virtus descendit, hoc amphitheatrum, in quo erudita doctrina spectatur, hæc palæstra, in qua de-centissimi, atque ingeniosissimi non corporis, sed animi motu

exercen-

exercentur, hic denique Circus ille Maximus est, in quo omnis generis literatura, humanitas, disciplina, & artes, ac scientiæ liberales universæ frequentantur. Huiusmodi ad agonem vincendum, necesse est unumquemque ingenuè natum, atque educatũ, ita rationes vitæ instituere, ut cum ignavia pugnam, cum segnicia luctam, cum inertia certamen suscipiat, imperitiam è mente, ruditatem ab ingenio, socordiam è pectore tanquam de statu suo deïciat, denique eò omni animi corporisq; nisu incumbat, & contendat, ut in gradu diligentiæ, assiduitatis, & industriæ firmo, atque immoto pede consistat. Ex hisce ludis verè & musicis, & Apollinaribus, ac dicam etiam Iuvenalibus, non brevis, atque inanis voluptas nescio quæ, ad paucos aliquot spectatores ociosos, sed fructus redit solidus, ac perpetuus ad omnes, qui in Republica sese ad divinas, humanasq; res tùm cognoscendas, tùm capescendas à natura, atque ab ipso potiùs Deo factos esse non ignorant. Restat, ut de altero festivitatis secularis genere, verba itidem breviter faciamus, quod in religione, hoc est, victimarum mactatione, votorumq; nuncupatione positum Romanos habuisse diximus. Cuiusmodi autem illa religio, vel superstitio potiùs fuerit, ex nullo historico meliùs, quàm ex eiusdem illius Poëtæ carmine, cuius sæpè jam meminimus, didiceris. Ait, Augustum Cæsarem boves candidos immolasse: quot immolarit, non addit, neque id hilum ad rem facit: vates ipse chorum suum venerantem, atque invocantem inducit Solem, & Lunam: Parcas, & Cererem: Iovem, & omnes Deos. Solem orat, ut nihil unquam urbe Roma, eiusq; imperio maius, ac potentius videat: Lunam, ut connubijs, & puerperiis rite adsit: Parcas, ut vitam, ac bona fata producant: Cererem, ut ad cultum, victumq; necessaria suppeditet: Iovem denique, & Deos, Deasq;, ut hæc ipsa pro numine quisque suo habeant, & populum Romanum

omni bonorum genere animi, corporis et fortunæ afficiant. Cur autem prater cæteros Solem, & Lunam, sive, quod perinde est, Apollinem, & Dianam invocarint, hanc habuisse caussam videntur, quòd Sol calorem, Luna humorem rebus nascentibus sufficit. ille suo motu annos, hæc menses metitur, uterque autem orbem terrarum luce sua collustrant, vicissitudines dierum, ac noctium, commutationes tempestatum, & quadripartitas anni conversiones efficiunt, denique quòd vi caloris, atque humoris temperata, vel intemperata, tum annonæ uberatem, aut caritatem, tum valetudinem commodam, aut incommodam afferunt, ipsamq; adeò pestilentiam immittere putarentur: unde etiam, qui morbo interibant, eos ab Apolline, & Diana perire credebant, viris Apollinis, mulieribus Dianæ sagittis interfectis. Porrò quoniam tribus temporum tractibus spacia motus metimur, præsenti, præterito, futuro, propterea totidem Parcas præsides, atque arburas hominum vitæ statuebant, Clotho, quæ filio suo præsentis momenta tẽporis & torqueret, & ostenderet, Atropon, quæ in fuso explicasset, ac referret præterita ætatis spacia, Lachesin, quæ formando, subigendoq; digitis, quod in colo reliquum foret, consequentium annorum vitam & regeret, & indicaret: easq; ut continuarent bona, & secunda fata fatis bene jam peractis, invocabant. Atque hæc dicat aliquis superstitiosa, atque impia esse, nec digna, quæ commemorentur: quasi verò hoc aut nesciamus nos, aut jam ante professi nõ fuerimus. Et tamen qualia qualia illa sunt, habẽt nihilominus opinor, quæ & vir doctus observare, nec alumnus veræ religionis improbare penitus possit. Neque hoc idcirco dico, quòd aut me, aut quenquam Christianum discere oporteat, vel ab Augusto Cæsare, vel à vate Horatio, quid rei divinæ facere nos in hac festivitate conveniat: non ita insanus, aut absurdus sum. Quid igitur

est? hoc videlicet commodi habet Horatiani illius carminis, ut latinè dicam, laudatio, ut nos intra certos, & legitimos terminos contineat, ne in hoc dicendi instituto ad argumenta non solùm aliena, sed etiam importuna deferamur. Agite igitur veræ rationis vestigijs insistamus, & ad operam rei divinæ dandam, id quod caput, ac summa esse debet hodiernæ hujus nostræ solennitatis, accedamus: cum sanctis illis, & divinitus inspiratis hominibus reddamus Deo vitulos labiorum nostro
Os. 14. rum: immolemus sacrificium laudis, & reddamus altissimo
Psal. 50. vota nostra: offeramus per Iesum Christum hostiam laudis,
Hebr. 13. fructum labiorum confitentium nomini eius: laudemus no-
Psal. 69. men eius cum cantico, & magnificemus eum in laude: & placebit Deo super vitulum tenellum cornua producentem, et ungulas. Verè enim hæc est res divina illa, qua nulla victima Numini cœlesti gratior mactari, nulla acceptior adoleri potest hæc est legitima festivitatis secularis celebratio, qua nulla sanctior, nulla augustior, ac magnificentior institui potest. Hæc solennitas nihil, præter debitas Deo laudes, Christo grates, ut erat in veteri Ecclesiæ formula, postulat: hic planè summus illi colendi Dei ritus est, quo maiestatem illius venerari, ac celebrare, quoad eius in hac imbecillitate licet, unicè, ac solidè possumus. At quanta sese offert nobis beneficiorum divinorum vis & copia? quanta dignitas, & præstantia? non est ingenij nostri, non dicendi facultatis, Auditores, ut vel omnia complecti vel præcipua saltem non dico exornare, aut illustrare sed enarrare tantùm, atq; cõmemorare possim. Neq; enim, ut Deo Opt. Max. & solenne, & facile est, mortales etiam impios, etiam indignos, quid n. meritis muliere nati debeatur? omnis generis cõmodis afficere, cumulare, obruere: ita quantumvis cordatus, quantumvis disertus homo memorem gratumq; animũ, ac sermonem ad cõmoda illa condignis modis prædicãda afferre possit.

sit.

sit. Veruntamen abducamus paulisper orationem ab illa infinitate beneficentiæ divinæ, cuius tamen memoria ex animis nostris nunquam debet discedere, atque ad illustria maximè, & peculiaria Academiæ nostræ promerita revocemus. Vnde ergo potiùs incipiam, quàm ab illustrissimis, celsissimisq; ducibus, & Electoribus Saxoniæ, quibus Deus pro ineffabili, atque immensa bonitate, & sapientia istam animi mentem dedit, ut hanc Academiam suam, bono orbis Christiani aperirent, augerent, defenderent? an memorem FRIDERICI III. sapientiam, qui non solùm hoc eximium nomen suis præstantissimis actionibus consecutus est, sed Felicis etiam obtinere meruit, dum eius operis fundamenta jecit, in quo felicitas, ac beatitudo temporaria, æternaq; excitanda esset? an fratris eius IOHANNIS constantiam, qui qua gravitate religionem repurgatam & agnovit, & fovit, eadem renascentes bonas literas amplexus, ac tutatus est? aut filij huius IOHANNIS FRIDERICI magnanimitatem, qui ab ea confessione, qua piorum, & doctorum huius Academiæ opera virorum è formula veritatis verbi divini concepta, & conscripta esset, nullis minis deterriri, nullis periculis dimoveri potuit? qui porrò MAVRICII fortitudinem atque heroicos spiritus prædicem, qui bello sacro dissipatam Academiam secundissimis auspicijs in pristinum statum restituit? aut fratris eius AVGVSTI incomparabilem pietatem, qui eam cum alijs luculentissimis commodis, & ornamentis amplificavit, tum intestinis corruptelis, ac fraudibus laborantem salutari concordia constituit? aut denique CHRISTIANI I. huius filij, magnificentiam, qui eandem omnibus rebus etiam atque etiam præclarissimis effecturus erat, si per fati acerbitatem licuisset? Ignoscant mihi potiùs, ignoscant heroum illorum manes sanctissimi, ac beatissimi, quòd illa ipsorum plurima, ac præclarissima in hanc Rempublicam literariam merita

mentione tam tenui, ac brevi perſtrinxi. Nec enim noſtrarum virium eſt, iſta tam ampla, tam diffuſa, tàm inſignia ac divina ita vel cogitatione complecti, ut nihil omittatur, vel oratione perſequi, ut nihil non pro dignitate dicatur: & ſi virium noſtrarum foret, vix tamen huius eſſet temporis. Quum enim unius alicuius illorum omni laude ſuperiorum Principum promerita aliquot dierum ſpacio, vel accuratiſſima oratione, comprehendi parum commodè queant: qui poſſim, aut debeam ego omnium ipſorum præconia, unius horæ curriculo, idq; ſubita hac, & penè ſub manibus nata dictione concludere? neque verò tot illa benefacta, atque opera vel ita obſcura ſunt, ut lucem ingenij cuiusquam deſiderent, vel ita vulgaria, & abjecta, ut orationis artificio, & tanquam adminiculo egere videantur: illuſtria omninò ſunt, eximia, ſingularia, admiranda, denique, ut verbo dicam, talia ac tanta, quorum nomine Deo omnipotenti ac benigniſſimo ſempiternas gratias & agere, & habere jure merito debeamus. Itaque vigent ea in veriſſimis publicorum, & toto orbe terrarum teſtatorum ſcriptorum monumentis: verſantur in ore, ac celebritate omnis Europæ: vivunt in animis, ac memoria piorum, & bonorum omnium: extant denique, & extabunt ubi vis locorum, atque in hac ipſorum præſertim, illa purioris religionis, atque artium meliorum & parente, & alumna, Academia, quàm diu erit hic orbis Chriſtianus. Atque hoc iam loco ſecundo dicendum etiam nonnihil videtur, de huius Academia tum profeſſoribus, tum auditoribus, quorum ſtudia ad diſcendum pariter, & docendum excitata divinitus, atque comparata fuerunt. Sed ut paulò ante adulationis ſuſpicione in florentiſſimum illum, & ampliſſimum principalis munificentiæ campum ingredi refugi, quum & pulcherrimi, & uberrimi, & certè ſaluberrimi illius fructus non modium, quod dicitur, ſed

ipſum horreum orationis copioſiſſimæ poſcerent: ita nunc ar-
rogantiæ metu in hanc partem multò pauciora verba afferam
neceſſe eſt, quàm aut expectat quis, aut ſumma, ac ſingularis
doctiſſimorum illorum, inq; omni diſciplinarum genere excel-
lentiſſimorum virorum virtus poſtulat. Circumſonant ei-
iam aures meæ ſapientiſſimi Socratis judicio, qui dicebat A-
thenienſem Athenis laudare haudquaquam difficile eſſe, nec
minus Antalcidæ illius Spartani, hominis non minùs faceti,
quam gravis ſententia, qui quum cerneret hominum turbam
confluere, quæſivit, quid rei eſſet, quumq; audiviſſet, Hercu-
lem à declamatore quodam laudatum iri, quis verò, inquit, il-
lum vituperavit? Vſque adeò & refert, & valere unicè debet,
id quod ego eloquentiæ animam vocare ſoleo, animadvertere,
quid in dicendo, & quatenus deceat. Quamobrem quum
ipſe hoc argumentum orationi meæ iam ante præſcripſerim,
non quidem laudationis ullius, quod genus alterius loci eſt,
& temporis, ſed celebritatis tantùm ſecularis, cuius potiſſimas,
vel unicas potiùs partes ſibi pietas vendicat: conſequens dein-
ceps eſt, ut & hoc genus divinæ benignitatis noſtro more per-
curramus. Ac dicere quidem ſingillatim quot profeſſores, &
quibus tum nominibus, tum patrijs, tum etiam quibus ſucceſ-
ſionibus, item quàm longo tempore, quantò ve cum fructu hic
docuerint infinitũ fortaſſe fuerit, & hiſtorico certè, quàm ora-
tori convenientius: mihi ſanè, ut ingenuè loquar, non modò
extra meam facultatem, ſed etiam ſupra ſcientiam poſitum eſ-
ſe videtur. Faciant id magis opportuno tempore, quibus ea
res comperta eſt: nos auriũ operam non ſolùm attentam, &
beneuolam ſed docilem etiam atq; aſſiduam ad cognoſcendum
afferemus. Sed quo judicio, aut quo veriùs piaculo, illa orna-
menta, & firmamenta Academiæ noſtræ tacebimus, Luthe-
rum, & Philippum? prohibeat fas, prohibeat jus: Deus ipſe

tam exsecrandum à nobis scelus detestetur. Iacebat religio Christiana oppressa superstitione, veritas mendacio, libertas tyrannide, pietas fraudibus, sanctitas nundinationibus, sacrorum ritus nugis ceremoniarum, virtutum exercitatio partim nugatoriorum, partim nefariorum operum perfunctionibus, non via amplius ad salutem, & cœlum, sed præcipitium ferebat ad Orcum. & perniciem, omnia denique erant perdita conclamata, deposita? quum ecce MARTINVS LVTHERVS animo verè Martio excitatus, nec minùs robore Herculano, si verè rectiùs dicam, spiritu Heliano confirmatus, cosmopolitanum illum Præsulem, illum hominem semideum, illum Deum semihominem, illum Petri, si divis placet, vicarium, illum cœlestis, atque infernalis aulæ & Clusium, & Patulcium, illum inquam Cacum Aventinum aggreditur, sternit, elidit, & verbo divino, cuius vi atque autoritate tanta illa ageret, suam maiestatem, Ecclesiæ libertatem, peccatoribus Servatorem, Servatori ipsi vindicias, atque gloriam restituit. Altera autem ex parte, proh sanctum Deum, quæ erat discendi in scholis ratio, qui cultus ubique ingeniorum? res est manifestior, quàm ut verbis pluribus dici debeat, miserior, quàm ut satis multis dici possit. Linguæ illæ, quæ disciplinæ universæ humanæ, ac divinæ non tam ornamenta, quàm fundamenta, & fulcra sunt, ad unam omnes ignorabantur: nemo erat, qui hebraicè, nemo qui græcè, vix unus & alter, qui semilatinè intelligeret: barbari omnes, aut infantes erant: ipsas porrò artes, ac scientias ita tractabant, ut satiùs fuisset infelices illos homines eas omnino non attigisse. Atque in hoc statu literarum, quæ temporum injuria, & multò magis hominum vecordia ita acceptæ essent, ut actum de ijs penitus videretur, nihilo tamẽ minus illæ ipsæ literæ, ô bonitatẽ Dei singularem, ô nullo orationis ambitu cõprehendendam, nullo verborum honore satis prædicandam clemẽ-

siam! ex ignorantiæ illa teterrima caligine, illoq; barbariei spurcissimo cœno oculos sustulerunt: idq; opera potissimùm, industria, labore, ac vigilijs doctorum Germaniæ Phœnicis PHILIPPI MELANCHTHONIS, qui tanquam Augiæ stabulum purgandum accepisset, ita philosophiæ sacrarium partim barbariei sordibus mundavit, partim quisquilijs Sophisticæ liberavit, suumq; liberalibus artibus, ac linguis nativum colorem, & quendam etiam nitorem reddidit. Itaq; quòd barbari hodie non sumus, quòd cum plerisq; Europæ regnis literarum gloria certamus, quòd in Germaniæ reformatis, & his præsertim nostris regionibus per hos centum annos adhunc usq; diem in templis atq; scholis, in Prætorijs provincialibus, in privatis, & publicis judicijs, piorum, doctorum, & prudentium hominum copia abundamus quòd denique ex hac schola, tanquam ex equo quodam Trojano, omnis generis viri doctissimi prodierunt, Philosophi Medici, Iurisconsulti, Theologi: nemini, post Deum immortalem, patrem illum luminum, nisi Melanchthoni Philippo acceptum referre debemus. Hoc divinum beneficium, si quid aliud, etiam atque etiam par est, nos tum gratis animis agnoscere, tum, quod habendæ, atque etiam referendæ gratiæ munus potissimum est, custodire, & conservare, adeoq; ornare, & illustrare. Quod quidem ita consequemur, si, quod vitæ genus instituimus, in eius cursu eam rationem tenuerimus, qua ad propositam, atque optatam metam pertingamus. In Academia vivimus: in bonis artibus, ac literis vivimus. Iam quid vel hæc nostra, vel alia quævis academia Christiana? utrum otij ambulacra, desidiæ latibula, somnolentiæ cubilia, aut etiam nepotationum tabernæ, nequitiæ lustra, discursionum, clamationum, tumultuationum, dimicationum bacchanalia, aut arenæ sunt? minimè gentium: quid igitur? cœlestis veritatis oracula sunt, humanæ solertiæ, prudentiæ, ac sapientiæ adyta sunt, virtutum officinæ sunt,

linguarum, disciplinarum, ac scientiarum mercatus sunt, industriæ, diligentiæ, ac doctrinæ gymnasia sunt, denique pietatis honestatis, humanitatis, ac tranquillitatis curricula sunt. Quæ omnia eodem modo de bonis, ingenuis, ac liberalibus artibus, & linguis intelligi, ac perhiberi debent. Qui igitur hoc suum vitæ genus cum laude ac profectu decurrere isto animo, ac modo instituit, hic verè academicus, verè bonarum artium studiosus, verè rerum divinarum, atque humanarum cultor & & sectator est, hic privatis suis rationibus ita consulit, ut olim publicis prodesse possit, hic DEO benignissimo pro literarum instauratione, reparationeq; longè gratissimam acceptissimamq; gratiam refert. Quæ si difficilia videntur, ut sunt omnino: cogitare debemus, glorioſa esse, quæ sunt operosa, neque tamen usque adeò esse operosa, quin inductione animi alacri, & promta, tum præterea ingenij, atque industriæ assidua contentione superari possint: divini præsertim numinis ac spiritus auxilio ad eam rem, incensis fide precibus, implorato. Itaq; providè ac propè dicam piè noster ille in carmine seculari suo, Dij probos mores docili juventæ date, *inquit, ut quod supra vires humanas positum videretur, ad id divinam opem adhiberet, complexus rem universam, unde & liberalis juventutis educatio, & hominis perfectio, & salus ipsa rei privatæ, ac publicæ pendet, duplici genere, probitatis morum, & docilitatis ingeniorum. Quorum sanè ea neutrum sine altero esse potest. Quid enim foret aut ipse Aristoteles, aut Hippocrates, aut Papinianus, si morum improbitate honestissimas illas, pulcherrimasq; scientias deturpent: aut doctor quispiam sesquiseraphicus, nisi suum illud religiosum vitæ genus literarum elegantia, ac splendore illustres?*

Alterius sic

altera poscit opem res, & coniurat amicè,

ut rursus loquamur cum gravissimo illo nostro Venusino. Ac me, in hac jucundissima tantæ rei commemoratione, gravis quædam, & permolesta interturbat solicitudo, cujus ne vos quidem, Auditores humanissimi, expertes habere debeo. Decet enim bonos, & salutis communis amantes cives communibus curis, ac remedijs impendentia mala, quâ possunt avertere. Equidem nolo hoc tam sacro & auspicato die verbum ullum triste, aut ominosum facere: scio enim linguis potiùs favendum, & à litibus, ac jurgijs omnibus abstinendum esse. At enim verò malè ominatum videri non debet, quod ad mala procuranda refertur, neque objurgationis speciem induere par est quod apertè veritas ipsa loquitur. Itaque quod dicturus sum, in bonam partem accipi debet, quum ab optimo animo proficiscatur. Ac nemo, ut opinor, eorum, qui hîc adsumus, aut Stephanionis illius, aut etiam nolitis apud Martialem matronæ ætatem sibi vel sperat, vel expetit,

Vt sua bis Latio spectetur vita Tarento,

ut leviter immutemus Poetæ illius versiculum. Itaque quis alterum seculum, si qua futura posteritas est, ac potiùs lustra non ita multa, literarum bonarum, ut uno verbo omnia dicam, status aut facies exceptura sit, ei demum obscurum esse potest, qui tantã huius nostræ ætatis & ingeniorum inertima, & judiciorũ sinisteritatem, & discendi præposteritatem, & industriæ et denig; supinitatem, frigus, ac veternũ vel nõ videt, vel quantum mali ea res habeat, parum animadvertit. Verùm nos scæva, atque acerba ista missa faciamus: atque ad id tandem, cuius caussa ista tot verba, neque tamen, ut speramus, aut nimis multa, aut etiam non satis apta fecimus, accedamus, & orationem hanc secularem concludamus. Tibi igitur, Deus

optime maxime, autor, conſervator, ac moderator huius rerum universitatis, qui cum Filio, & Spiritu ſancto unum verũ Numen es ab æterno in æternum, cuius maieſtas infinita, bonitas conſummata, ſapientia inexhauſta, potentia interminata eſt, cuius nutu Sol, & Luna anfractus, reditusq; ſuos conficiunt, in cuius manu ſortes noſtræ ſunt, gratias & habemus, & agimus, quantæ ab quantæ ab angustijs iſtis pectoris humani proficiſci, quantæ ab hac infantia oris mortalis depromi poſſunt, maximas & ſingulares, quòd Ducibus, atq; Electoribus Saxoniæ per hos centum annos eam animi mentem & dederis, & conſervaris, ut hanc Academiam, bono reip. Chriſtianæ, aperirent, ad eamq; tuendam, fovendam, amplificandam, et illuſtrandam omnes curas, conatus, ac ſtudia ſua prolixè, & liberaliter conferrent; accẽſam in ea, miniſtri tui MARTINI LVTHERI opera, Evangelij lucem agnoſcerent, contra nequam Dæmonis rabiem, Antichriſti Romani tyrannidem, Sophiſtarum oppugnationes, hæreticorum adverſationes, Spiritus tui auſpicijs, & ductu verbi abs te patefacti defendendam, ſtabiliendam, ac propagandam irent; bonas artes, ac linguas per doctos, & induſtrios viros, in quibus PHILIPPVS MELANCHTHON familiam ducit à ſitu atq; ex interitu receptas, politas porrò, limatas, & conſervatas vellent; itaq; ſe compararent, ac gererent, ut in his ſuis regionibus maieſtas nominis tui ſanctè, auguſtèq; celebraretur regnum gratiæ, ac vitæ longè lateq; ſalutaris fidei interventu, protenderetur, & voluntas nutus tui ſanctis, ac tibi placentibus actionibus obſervaretur. Hoc opus, atque munus, quantum quantum eſt, quòd certè maximum, atq; ampliſſimum eſt, nec ullius hominis mente, ac lingua ſatis cogitari, aut explicari poteſt, totũ eſt planè tuum. Tu huius Academiæ noſtræ fundus, tu cuſtos, tu rector fuiſti: à te omnia habemq;, tibi omnia debemus, à te etiam omnia expectamus. Quare age benigniſſime, atq; in-

dulgen-

dulgentißime parens, munus hoc bonitatis, ac miſericordiæ tuæ proprium, ac perpetuum inter nos eſſe jube: ne ad ingrati animi impietatem, ne ad gravißima, atque plurima crimina reſpice, quibus te quotidie alij infirmitate, alij improbitate offendimus: dele atque oblitera illa ſanguine filij tui, nosq; favoris, ac ſpiritu tui aura in viam rectam, atq; ad vitam æternam proſequere. Academiam hanc tuam in agnita veritate, in fide ſalutari, in ſtudio cultuq; omnis liberalis doctrinæ, omnisq; virtutis Chriſtianæ conſerva: docentes ac diſcentes ſpiritu veritatis ſapientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, timoris, ſpiritu potentiæ, dilectionis, & ſobrietatis, ſpiritu gratiæ ac precū affla, colluſtra, corrobora: Antichriſti exſecrandam impietatem, abhorrendam idolomaniam, & immaniſſimam crudelitatem profliga, & peſſunda: tyrannidis Turcicæ mactationes, vaſtationesq; coërce, compeſce, opprime: largire præterea aëris ſalubritatem, tempeſtatum opportunitatem, annonæ ubertatem, pacis tranquillitatem, & cæterorum commodorum corporalium copiam. In primis illuſtriſſimum celſiſſimumq; ducem, atq; Electorem Saxoniæ, CHRISTIANVM II. Principem, ac Dominum noſtrum, una cum illuſtriſſima familia omnibus animi bonis, omnibus corporis commodis, etiam atque etiam plena manu orna, atque cumula: ut ſub Evergetæ illius florentiſſimo, ac fortunatiſſimo patrocinio, quisque in ſuo munere tibi grata, Eccleſiæ fructuoſa, reipub: commoda, nobisq; ſingulis atque univerſis ſalutaria dicamus, & faciamus: uſque dum ſtatione vitæ, & officii noſtri functi, beatiſſimam illam immortalitatem cum hac ærumnoſa mortalitate, tua gratia, ac miſericordia, commutemus. AMEN.

ORATIO
SECULARIS
DIE CATHARINAE
Anno 1601.

Habita
à
MERASMO SCHMIDT,
Græc. linguæ Profes.



RoRector Magnifice, Illustres & Generosi Barones, Viri Reverendi, Consultissimi, Amplissimi, Doctissimi, Clarissimiq; Patres Academici, Collegæ & Amici honorandi, túque Nobilissima & Lectissima juvenum concio, Auditores æquissimi, Inter alia, quæ à majoribus nostris religiosè instituta sunt, etiam hoc Leges Collegij Philosophici habent, ut quotannis vigesimus quintus dies Novembris, qui in fastis Ecclesiasticis Divæ CATHARINAE sacer est, in hac Academia solenni ritu celebretur, adeoq; ipsius Catharinæ (quam studiorum Philosophicorum huius Academiæ Patronam, laudatissimus fundator FRIDERICVS Sapiens esse voluit) laudes prædicentur, Missa, & alia id genus fiant.

Hæc etsi pia & religiosa intentione sunt instituta: non carent tamen inquinatione Pontificiæ abominationis, ut quòd Catharinæ preces jubentur fundi, pro salute Academiæ & successibus studiorum: quòd item Missæ abominatio præcipitur; & si qua fortè sunt alia. Quæ nos, in veriore Deum colendi ratione instituti, meritò reïcimus, retentis interea ijs quæ cum superstitione Pontificia nihil commune habent, ut quod DEO PATRI AETERNO, cum FILIO, & SPIRITV SANCTO, pro benigna protectione & conservatione, cùm totius Ecclesiæ, tùm verò etiam nostræ Scholæ, laudes dicuntur, & gratiæ toto pectore aguntur, & idem invocatur, ut deinceps quoque hanc Scholam, adeoq; totam Ecclesiam, contra omnes Diaboli furores, benignè velit conservare.

Non est igitur, Cives Academici, quòd hic Missam Pontificiam exspectetis, quam abominationem, Deo sit laus, dudum exstirpavimus: Non etiam est, quòd Catharinæ laudibus inhietis, quibus quidem digna est: sed tamen alio tempore de ijs multa fuerunt allata: Non est etiam, quòd preces illi nobiscum fundere cogitetis: Illam enim neque Deam, neque Patronam, neque Adjutricem studiorum agnoscimus: sed ut exemplum tantùm industriæ & eruditionis, meritò suspicimus.

Pro Missa verò, & pro laudibus Catharinæ, próque precibus ipsi fundendis, ad Deum nos convertemus. Tibi ergo æterne, omnipotens, & benignissime Deus, Pater, Fili, & Spiritus sancte, gratias agimus, toto pectore, quòd hanc Scholam nostram hactenus in centesimum usque annum, sub tutela Illustrissimorum Saxoniæ Electorum clementer protexeris, inque ea veram tui notitiam, artesque humaniores, cum aliis Facultatibus omnibus, conservaris, omniumque clancularioru m &

apertorum hostium, qui delectam eam cupierunt, conatus irritos feceris & retuderis : à dissipationibus pestis & famis benignè tuitus: Docentibus & discentibus, gratiam & Spiritum tuum largitus fueris : Pacémque κϖροτρόφον & Halcyonia in commune his terris concesseris: aliáque omnia, quæ ad vitam nostram debilem sustentandam spectant, abundè præstiteris. Oramus te eundem Patrem, per Filium, cum Spiritu sancto, ut & deinceps Scholæ nostræ, huiusque Illustrissimis Patronis & Nutritiis, Saxoniæ Principibus, gratia tua benignè adesse velis, ut vox Verbi tui, artiumque perpetuò inter nos sonet, omniáque avertantur, quæ ad abolendam eam spectant: ut ita grata Tibi semper dicamus & faciamus, tuæque misericordiæ vasa efficiamur, noſque Te & nunc, & in perpetuum, infinitis laudibus celebremus.

Has preces, Deo æterno, propter Christum, omni Pontificiorum Missa gratiores, placuit præmittere.

Cùm autem pro more hactenus recepto, in hoc conventu, verba mihi facienda sint: optarem equidem, ut exspectationi vestræ, Patres ac Cives Academici, respondere, & vestris auribus politis, atque hoc loco amplissimo digna, dignè proferre possem. Verùm agnosco hac in re meam tenuitatem, & lubens quidem: speróque vos, qua alios hactenus audivistis, eadem me quoque patientia audituros esse.

De argumento autem cum dispicerem, multa quidem occurrerunt & varia: sed placuit præ cæteris, hoc tempore, quo sub initium Imperij Illustrissimi Principis CHRISTIANI SECVNDI, *Electoris Saxoniæ, &c. Domini nostri clementissimi, & in Magnificentissimo Rectoratu Illustrissimi Principis* AVGVSTI, *Saxoniæ Ducis, &c: itidem Domini nostri clementissimi, annum Academiæ nostræ* Iubilæum

centesimum scilicet, *Dei beneficio attigimus, & dies Catharinæ, Collegio Philosophico, (statutis ita præcipientibus) solennis, jam centesima vice recurrit: brevibus commemorare, quanta beneficia hoc elapso seculo, Deus huic Scholæ nostræ, atque adeò ex ea, etiam aliis, imò toti orbi Christiano contulerit, & ex quantis tenebris, ad quàm splendidam lucem nos adduxerit: ut de his commonefacti, Dei bonitatem agnoscamus, & ad debitam gratitudinem corda nostra excitemus, & ut deinceps istum thesaurum nobis salvum conservare velit, ardentibus votis oremus. De quo argumento, dum iam propter frigoris inclementiam, brevius ago, vos Patres ac Cives Academici, vestro favore benevolè me sublevate.*

Trium seculorum collatio.

Vt autem beneficia Dei nobis præstita, penitius inspiciantur, nósque ad gratitudinem magis incitemur: proponemus nobis tria secula: Illud quod nostram Academiam antecessit: Hoc ipsum, cuius ultimum & Iubilæum centesimum annum, à fundata nostra Academia agimus: & proximè sequens, quod divino auspicio, propediem inchoaturi sumus.

I
Seculũ ante Academiam obscurum.
1. Propter tenebras artium.

Illud ergò seculum, quod ante nostram hanc laudatissimam fuit Academiam, ut depingamus, ostendendum nobis est, quantis tenebris omnes disciplinæ, eo seculo, cum præcedentibus aliquot, usque ad conditam nostram Academiam, & sub eius initium, fuerint involutæ. Hic tantum chaos sese offert, ut ubi initium ubi finis dicendi faciendus sit, non facilè appareat, & citius dies nos deficiat, quàm dicendi materia. Ex hac infinita ergo multitudine, præcipua duntaxat attingemus.

In genere ratio docendi intricata.

Atque ut in genere primùm dicamus, Tanta fuit, etiam apud docentes ignorantia, ut quid docerent, nec ipsi intelligerent: Id quod etiam apertè confiteri non erubuerunt, dum, si quando ex discipulis, Nunquid dicta à se intelligerent? inter-

rogatis, audierunt, Rem non esse intellectam: Ipsi, neq; se eam intelligere, subjecerunt. O præclaram eruditionem, ubi Præceptor cum discipulo, tanquam mus in pice hæret. Idem certè mihi videntur fecisse, quod cæcus alteri cæco viam monstraturus.

Finis studiorum incogni tus.

Quin neque finem studiorum noverunt: sed plerique, præsertim Monachi, literis quoddammodo degustatis, finem se assecutos putarunt, si ociosè viverent. Sicut aliquando Monachus quidam senior, ignavissimus & insulsissimus, sedens ociosè, & pedes pendulos alternatim (sicut nostri pueri solent) jactitans, Monacho juniori dixit: Ecce, si probè didiceris, etiam tibi licebit aliquando tàm beatè vivere. *Ocium, asinus ille, & ignaviam, & pendulos pedes jactitare, finem studiorum æstimavit. Imò inventi fuerunt, qui ab Apostolo literarum studia prohibita, vel improbata saltem crediderint, quando inquit:* Scientia inflat. *Adeò, scilicet, voluerunt isti cucculligeri esse humiles, ut neque tractanda ea putarint, quæ animum inflammare possent. Interim abdomen ventris ut turgeret & tumeret, nec cibis, nec potui, nec somno, nec ocio pepercerunt. Quos egregiè lusit Thomas Morus Anglus, hoc Epigrammate:*

Quemlibet inflat, ais, vel teste, Scientia, Paulo:
Unde igitur tantum, tu pater ample tumes?
Vix gestare potes turgentem abdomine ventrem,
Inflaturq; levi mens tibi stultitia.

In specie in singulis artibus.

In Grammatica.

Atque hæc in universum primùm, & generatim. In specie verò, ut à Grammatica, *infimo omnium disciplinarum fundamento, initium faciamus: tantam hîc inveniemus barbariem, tantas tenebras, ut vix inveniri ullum existimem, qui credat, nisi evidentissimè convincatur.*

Non dicam jam, quàm barbarè ſcripſerint, alibi pro Vocalibus Diphthongos, & contrà, facientes, ut Fœlix, *vel* Fælix, *pro* Felix: *alibi Conſonantes omittentes, alibi præter neceſſitatem inſerentes, ut*: Ympnus *pro* hymnus, temptamen *pro* tentamen, *& id genus ferè infinita.* In Ortographia.

Non etiam dicam de ſtudio abbreviationum, quas quì intelligeret, & perfectè legere poſſet, profundè doctus nominabatur: adeò etiam, ut cum ad officia Eccleſiaſtica admittere aliquem vellent, prius in lectione abbreviationum eum tentarent. Ita (ferũt) cum aliquãdo quidã Otto Epiſcopus, alteri Epiſcopo Clericum, ad functionem Eccleſiaſticam commendaſſet, his literis: Otto Dei gratia, rogat veſtram clementiam, ut velitis iſtum Clericum conducere in veſtrum Diaconum: *& verò hanc commendationem abbreviatè ſcripſiſſet: voluit alter Epiſcopus, Clerici eruditionem explorare, juſſitq; literas ipſum legere. Ille ergo abbreviationum non benè gnarus, ita legit*: Otto Dei gram, rogat veſtram clam, ut velitis iſtum clincumclancum, convertere in vivum Diabolum.

Non etiam dicam, quàm negligentes in Proſodicis fuerint, adeò ut integrum ſeculum, vix unum aut alterum Poëtam tulerit. Imò & ex reliquis, ferè omnes, quantitãtem ſyllábărum non curávĕrunt. In Proſodia.

Non etiam dicam, quàm Barbarè aut Res nominarint, ut: Somnietas, Nimietas, Stipticitas, Trufator, Emplaſtrare, Clyſterizare, Certiorare, *cujus generis ſunt pluſquã ſexcentæ: aut quàm ineptè Etymologias rimati fuerint. Vt cum* Dialecticam *dictam voluerunt, à διὰ quod* duo *ſignificare dixerunt. &* Lectica, *quod genus eſt vehiculi: eò quod duo in Lectica ex oppoſito ſedentes poſſint diſputare.* Diabolum *dictum voluerunt, à διὰ, quod rurſus interpretati ſunt* duo In Etymologia.

& bolus, *quia diabolus faciat ex homine duos bolos, unum corporis, alterum animæ.* Colurus *derivatus fuit à* κῶλον, *quod est* membrum, & ὄρος *id est,* bos Silvester: *quia velut bos silvester, insigne illud membrum quod in perpetuo motu est sicut cœlum, caudam scilicet, elevatam, in semicirculi formam arcuare potest: ita etiam Colurus circulus appareat imperfectus.*

In Syntaxi. *Non etiam dicam, de solœcismis Syntacticis, quos passim invenire facilè quis potest. Exemplo sit hæc unica periodus.* Profundissime Domine Magister noster, rogo vos, quòd veniatis mecum ad unum bonum amicum: ego volo sibi hunc librum ejus in hypocaustum suum intus portare, & eum sibi reddere. Audivi autem cum ambabus auribus, quòd insanus sit uno morbo. Interrogabo ergò, quomodo sibi sit. Credo autem quòd sit atra bilarius, & patiatur Melancholiam. Si me habuisset consulere, ego suasissem sibi, quòd mitteret ad unum Doctorem, quòd cum inter patientes, quos pronuuc in cura eius habet, recipere vellet, & videret, quòd omnia quæ in sua cura fienda sunt, rectè vadant. Quòd si pro nunc non est vobis, profundissime Domine Magister noster benè positum, quòd mecum iretis, quæso non pro malo mihi habeatis meam petitionem.

Inde intellectus sacrarum literarum depravatus. *De his, inquam, & similibus omnibus non dicam. Etsi enim magna magnæ barbariei sunt indicia, risum tamen magis merentur. Illa verò longé sunt majora, quæ ex his enata, in interpretationem sacræ scripturæ se immiscuerunt, quæque non tantum in Grammaticæ, sed etiam in fidei fundamenta impegerunt. Vt cum Psalmo 23, legerunt, vel decantarunt, imò deblaterarunt Monachi insulsi,* Et super maria fundavit eam: *Nomen* MARIA *appellativum, Proprium es-*

se pu-

se putarunt, & beatam semper virginem Mariam intellexerunt, ideóque magna cum reverentia, flexis genibus, & additis suspirijs, legerunt, Et super MARIA fundavit eam. *Atque inde insulsè obtinere voluerunt, Ecclesiam esse fundatam super Mariam virginem, eiq; idcirco cultum suum deberi. Sic quando legerunt:* Hæreticum hominem devita: *verbum* DEVITARE *ea significatione acceperunt, qua Germani dicunt,* Vom Leben zum tode bringen *s. i. interficere: atq; inde exstruxerunt Legem illam, qua ferro, igne, fune, rota, aqua, & omnis generis supplicijs, hæreticos, hoc est, à dogmate Antichristi alienos, (hos enim intelligunt) omnes Reges terræ persequi sunt jussi, & adhuc jubentur.*

Et sunt talia infinita, quorum plura jam referre, temporis ratio non patitur.

De Linguis *quid dicemus? Vix* Latina *fuit nota, eaq; horribilibus barbarismis & solœcismis depravata, ut modò ostendimus.* Græca & Hebræa *adeò exularunt, ut studiosum aliquot scholas pervagari oportuerit, antequam literas saltem noscere didicerit. Multi cum inter legendum ad Græca pervenerunt, transierunt, quasi legi ista non potuerint.* In Linguis.

Si ad Dialecticam *accedimus, sive* Logicam, *proh Deum, quot vepres, spinæ, sentesq; sese offerunt? imo tota vepreta, spineta, & senticeta Thomisticarum & Scotisticarum, hoc est, obscurarum futilitatum (subtilitatum volebam dicere, si tamen diis placet) Adeò fuerunt rudes, ut etiam nomen artis nec rectè scriberent, nec pronunciarent. Pro* Logica *enim,* Loica, *omissa litera G, & dixerunt & scripserunt, quid Loica monstri esset, ignorantes. Sed leve hoc. Gravius illud, quod verum usum Logicæ ignorarunt, quem in subtilibus, ut ipsis visæ sunt, disceptatiunculis, collocarunt, de* Quiditatibus, Entibus, Entitatibus, *& similibus vanitatibus, quas* In Dialectica.

ante 800 annos, non illepido joco Carolus Magnus irrisit, Sie disputiren von blawen Enten. *Eo tempore* Nullus & Nemo quotidiè se mordebant in sacco. *Eo tempore,* & mane & vesperi, Nullus clamabat, Nemo audiebat.

Modales, *ut in Logicis nominantur, adeò malè tractabantur, ut de bonis earum non posset gustare Asinus, tametsi carduis, seu lactuca asinina, essent condita. Quin nec exempla intelligebant, quibus quotidiè utebantur. Cùm enim in doctrina Oppositionum, à majoribus suis accepissent hoc exemplum,* Socrates currit, Socrates non currit; *& verò nomen Socrates, abbreviatè scriptum fuisset: legerunt posteà & scripserunt, & posteris tradiderunt,* Sortes currit, Sortes non currit: *quis dæmon* Sortes *esset, nõ rarò admirãtes. Quàm arguti fuerint nõnulli in argumẽtãdo, vel unicũ hoc, quod fertur Enthymema ostẽdit:* Baculus stat in angulo: Ergò pluet. Et per consequens, Non licet Sacerdoti uxorem ducere. *Auditis bonam consequentiam, ex Legibus Logicis exstructam. Talis nimirum olim fuit argumentandi ratio. Et tamen ejusmodi argumentatores, profunde-docti, fuerunt habiti & appellati.*

In Rhetorica, Arithmetica, & Musica, *fortè non ita multa inveniemus, quæ reprehendi possint, nisi quòd hæ artes & obscurius à docentibus fuerint traditæ, & segnius à discentibus tractatæ, & in genere à paucioribus amatæ.*

n Rhetorica;
Arithmetica,
Musica.

In Geometria *præter Cathecum, quam nos κάθετον vocamus, inter alia, hoc falsum Theorema fuerunt amplexi,* Figuras Isoperimetras omnes esse inter se æquales.

n Geodæsia.

In Geodæsia, *multa, & magna, & gravia commiserunt errata in agrorum & fundorum mensurationibus, adeò ut hodiè nullius fundus, etiam salvis & invariatis limitibus retentis, tantam aream habere ab Artificibus inveniatur,*

quantam olim Pſeudogeodætæ falsò deſcripſerunt: qui tantum aberrarunt à vero, ut, ſi mihi tantum terræ concederetur, quantum ab iſtis Pſeudogeodætis, præter veras areas paſſim in toto mundo fuit falsò deſcriptum, affirmare velim, me Magno olim illo Perſarum Rege, vel Imperatore Turcico, longè ampliorem ditionem habiturum.

Ethica doctrina, *etſi aliàs rectè fortaſsis fuit tradita: In hoc tamen peccatum fuit, quòd virtutibus moralibus Deo nos placere, & gratiam ejus ac vitam æternam demereri poſſe exiſtimarunt. Imò & eò nonnulli pervenerunt, ut non veriti ſint affirmare,* Poſſe ex Ethicis Ariſtotelicis nova Biblia conſcribi, etiamſi omnia Biblica exemplaria eſſent perdita. In Ethica.

In Phyſicæ doctrinæ *tractatione, etſi fortè pauciora ſunt, in quibus aliquid deſiderari poſſet: Fuit tamen ea obſcura, & multis ocioſis quæſtionibus involuta. Et* decuplam molis Elementorum ad invicem rationem, *ex loco Ariſtotelis, lib. 2. de gen: & corr: cap: 6, perperam intellecto, introduxerunt. Ex quo dogmate poſteà, enatum fuit alterum,* de duplici cẽtro terræ, uno gravitatis, altero Magnitudinis: & Terram aquis inſtar pomi aut pilæ innatare, nec cum aquis Globum conſtituere. In Phyſica.

In Aſtronomia, *etſi laudandi ſunt præſtantium Artificum conatus, & nunquam oblivioni tradendi: Tamen præter illos Artifices, pauci admodum fuerunt, qui illius doctrinæ vel mediocrem cognitionem ad ſe quoque pertinere, arbitrarentur.* In Aſtronomia.

In Aſtrologia, *quàm multa abſurda introduxerint, palàm eſt: quàm ſuperſtitiosè actiones etiam planè liberas, & legibus aſtrorum non ſubjectas, tamen ad aſtra retulerint:* In Aſtrologia.

quàm religiosè, ut ita dicam, interrogationes, de rebus etiam leviſſimis, fecerint: quomodò item gratiam Dei, exauditionem precum, ſalutem animæ, & alia id genus, ex aſtris cognoſci poſſe, impiè tradiderint: adeò ut hanc ob cauſam, ars per ſe inculpata, imò honeſta, laudabilis & divina, multis facta fuerit inviſa, & habita impia: quæ opinio necdum ex animis eorum eximi poteſt, qui inter artem ipſam, & inter artificum errata non diſcernunt.

II Propter tenebras Religionis.

Neque verò continuerunt ſe hæ tenebræ in diſciplinis humanioribus: ſed invaſerunt etiam, Pontificum Romanorum operâ, divinitus patefactam doctrinam, de Lege & Evangelio: de Iuſtificatione: de bonis operibus: de Invocatione ſanctorum: de Indulgentijs: de Miſſa: de Purgatorio: de conjugio: de abſtinentia ciborum, & alijs: de quibus eos errores in Eccleſiam invectos, conſtat, qui ψυχολεθείας cauſa multis fuerint: de quibus omnibus ſi vellem agere, dicendi potius tempus, quàm materiam, quærere oporteret. Neque opus eſſe arbitror, altius iſta repetere, cùm omnibus tàm ſint nota, quàm quæ notiſſima.

Ex his autem puto, Auditores æquiſſimi, jam vos intellexiſſe, quanta fuerint, ſuperioribus ſeculis ante noſtram Academiam, & ſub initium eius, in omnibus diſciplinis & artibus, imò & in Eccleſiaſtica doctrina, tenebræ: quas cum Heraclito magis deplorare, quàm cum Democrito ridere convenit. O deplorandas, & iterum deplorandas iſtius ſeculi tenebras: O infelices homines, luce artium & linguarum deſtitutos: O miſerrimos, quorum animas ſanguine Filij Dei redemptas, Romanus Cacus Damoni mancipavit.

III. Seculum hactenus elapſum, Dei gratia illuminatū.

Sed, quis huius ſeculi jam adfecti, imò ferè confecti, ſtatus hactenus fuit? Laus & gratiarum actio ſit DEO optimo maximo, qui ex immenſa ſua miſericordia, has pluſquam

AEgyptias tenebras luce Artium & Verbi sui, duorum illorum, non Germaniæ tantum, sed & Europæ & Orbis Christiani totius luminarium, Martini Lutheri, & Philippi Melanchthonis, *ministerio discussit, ita ut splendor artium & veritatis cœlestis, ex hoc loco, in totum orbem terrarum, radios suos emiserit, & toto hoc elapso seculo, ex omnibus ferè nationibus, quæ sub sole sunt, tanquam ad emporium artium & doctrinarum omnis generis, studiosa juventus, per mare, per terras, per saxa, & tantum non per ignes, magno numero huc convolarit.*

Hic amplissimus esset dicendi campus, quàm feliciter omnes artes adeoq; Evangelij doctrina, fuerint repurgatæ, Sed breviter saltem quædam attingam. 1. Luce artium.

Quanta cum utilitate discentium, Grammatica, Dialectica & Rhetorica præcepta, *Dominus* Philippus *in Compendia redegerit, & juventutem ad Aristotelica cognoscenda præparârit, omnibus est notissimum: adeò ut Cyprus etiam & Lesbus, si opus esset, testimonium dare possent: quæ etiam ex Illustrissimorum Saxoniæ Electorum judicio & voluntate, in hac Schola hactenus retinemus, & cum Aristotelicis conjungimus. Discunt jam Dei beneficio, pueri & juvenes, verba pura,* in Latina, Græca, & Hebræa lingua, *expulsis barbarismis: discunt orationes concinnas texere, exstirpatis solœcismis. Notus jam est verus usus* Dialecticæ, *& expurgatus est hortus eius amœnissimus, excisis vepribus Thomisticis & Scotisticis. Iam* Nulli & Nemini in sacco pax est. *Iam* nec Nullus clamat, nec Nemo audit. Oratoriæ *quoque* eloquentiæ, *suus nitor est restitutus.* Grammaticæ. Dialecticæ. Rhetoricæ. Linguarum.

Eodem modo & reliquæ artes humaniores, hoc seculo, & magis sunt excultæ, & magis hactenus florent, & à pluribus amantur ac discuntur. Reliquarum artium.

Ethicæ. *Scimus*, Ethicam *esse partem Legis* Moralis *de externa disciplina, qua vel maximè pro virili præstita, nec Legi Dei satisfit, nec justi coram Deo reputamur. Et tamen exercendam eam quotidie, cùm ad reprimendos nostros affectus, tùm propter ipsam honestatem: & quia pars Legis divinæ est.*

Physicæ. *Scimus quoque*, Physica principia *discernenda esse à sacris: & explosæ sunt etiam dudum opiniones monstrosæ & rationi adversæ.*

Astrologiæ. *Ex doctrina quoq́*, de qualitatibus & effectibus corporum cœlestium in his Elementaribus, *ea sunt extrusa, quæ ex superstitione irrepserant: scimusq́ naturalia & Elementaria, non autem proæretica, legibus astrorum esse subiecta. Scimus quoque, τῷ δυνατῷ καὶ τῷ χρησίμῳ, tanquam limitibus, hanc doctrinam secundum Ptolemæum, esse inclusam. Quòd autem adhuc δεισιδαιμονίας suspicioni occasio datur: id non Arti ipsi, sed scriptorum quorundam incogitantiæ tribuendum est: qui rectius de hac ipsa doctrina senserunt, quàm alicubi ex superstitiosorum autorum lectionis contagio scripserunt.*

Possent sanè plura commemorari, quæ in Philosophicis seculum nostrum hactenus habuit puriora & cultiora: nisi me tempus ista præcidere iuberet.

II. Luce verbi divini. *In doctrina Ecclesiæ, quanta lux hoc seculo toti orbi effulserit, omnibus Dei beneficio notissimum est. Quanta animositate, quantoq́ spiritu, Pontificiæ abominationi contradixerit* Divus Lutherus, *eamq́ non tantum oppugnarit, sed & quoad hanc Academiam & vicinas terras, expugnarit, res ipsa loquitur. Scripta est hoc seculo, jubente Magistratu, à* Philippo, *confessio Ecclesiarum nostrarum, in quam omnes adhuc juramus, quæ nimirum Anno 1530, augustissimo Imperatori* Carolo Quinto, *in comitijs Augustanis, à Principi-*

bus & Civitatibus Orthodoxis exhibita, & inde in totum orbem fuit evulgata. Notum jam est discrimen Legis & Evangelii: doctrina de Bonis operibus, à Pontificiis sordibus est expurgata: conjugio suus honor restitutus. Cibi, quos Deus in usum hominum condidit, rursus concessi: Missa idololatrica abrogata: Indulgentiæ abolitæ: Purgatorius ignis planè exstinctus: doctrina de Iustificatione ita jam lucet, ut meritò pro eius claritate, Deo immortales gratias agere debeamus. Iam morituri, ad quem se convertere debeant, ex verbo Dei docentur.

Vt rem paucis comprehendam, omnium artium & linguarum, omnium articulorum fidei, tantus est iam divinæ gratiæ, splendor & nitor, ut Tenebras prius seculum non immeritò dixeris.

Hæc sunt illa Dei optimi maximi beneficia, hoc seculo, huic Academiæ, & ex ea multis alijs nationibus præstita. Hæc est illa superiorum tenebrarum in clarissimam lucem mutatio. Hæc à nobis celebranda, hæc ad posteros propaganda, hæc in æternum Deo accepta referenda.

Habetis *nunc breviter, etiam huius elapsi seculi statum. Sed quid de sequenti, cuius initium & annum primum, proximo anno Christi 1602, die Lucæ, Deo volente, inchoabimus, exspectandum nobis sit, scire cuperemus, fortè omnes. Ita nimirum comparati sumus, ut de futuris magis curiosè quæramus, quàm præsentia conservare studeamus. Etsi verò, futurorum προγνωσιν, soli Deo reservamus: tamen quantum vel ex causis, vel ex signis, & probabilibus conjecturis fieri, citra superstitionem potest, de futuris sobriè disquirere, non video esse prohibitum.*

III. Seculum inchoans. Quid de eo sperandum.

inam bona.

Quòd si ergo hæc immensa Dei beneficia, quæ hoc seculo nobis præstitit, grato, uti decebat animo, agnosceremus, nec de studio verbi divini quid remitteremus, nec ad ollas Ægyptias respectaremus: sed tædium excuteremus, & vitam nostram, professione Christiana dignam ageremus artiumque & studiorum humaniorum nitorem conservare studeremus, usumq́ pluris, quàm inanem & ociosam futilitatem faceremus, aliaq́ quæ nos decent, præstaremus: Non equidem dubitarem, fausta ac felicia quæq́ in futuro seculo pollicerì. Verùm si paulò penitius & gratitudinem nostram, & vitam nostram & studia nostra intuebimur: non puto quenquam forè, qui non pœnas divinitus meruat.

ed metuendæ otius pœnæ.

Vt enim primùm in genere dicam, tanta jam est mundi ἀναισθησία, tantaq́ cæcitas, ut beneficia Dei, quantumuis illustria, nec sentiat, nec agnoscat. Si quid hoc seculo boni evenit: casu, aut cæco quodam fortunæ impetu accidisse opinatur. Quo fit ut pro tot tantisq́ beneficiis, rarè, penè dixerim nullæ gratiæ Deo agantur. Vita nostra, cùm omnium ætatum, tùm maximè juventutis, ea est, ut nomen Dei inter gentes blasphemari faciamus. Tot jam vigent idololatriæ, non externæ illæ, sed internæ, illis nocentiores: tot audiuntur blasphemiæ, tot abusus nominis divini, tot exsecrationes, tot inania juramenta: tot fiunt perjuria, tot profanationes sacrorum: tot experimur inobedientias & ἀταξίας, liberorum erga parentes, discipulorum erga præceptores, subditorum erga Magistratus: tot jurgia, tot rixas, tot percussiones, tot homicidia: tot adulteria, tot scortationes: tot furta, tot rapinas, tot fœnerationes: tot mendacia, tot calumnias: tot appetitus illicitos: tot denique inordinata, ut Iovem fulminibus inermem brevi futurum credant Ethnici, si omnia ista ulcisci vellet:

Propter notram ingratitudinem.

2. Propter vitam professioni Christianæ nõ consonam.

Nobis verò ipsis mirum fiat, Deum tàm patienter & μακροθύμως ista aspicere posse.

Hæc ergò si quis perpendit, an non huius ingratitudinis, malæq; vitæ pœnas graves divinitus metuat?

Quòd si studia nostra, de quibus nobis jam potissimùm sermo est, consideraverimus, nihilo meliora ominari poterimus. Metuendum enim est, (Deus omen avertat) ne tantam omnium artium lucem, denuò excipiant horribiles tenebræ, & fortè prioribus densiores. Atque has, ipsi ultrò multis modis accersere videmur.

3. Propter studiorum neglectum.

Primùm enim, iam omnia nobis sordent usitata, arrident vero obsoleta, imò absurda: ut non immeritò appellari possimus δῆλοι τῶν ἀτίπτων, καὶ ὑπερόπλαι τῶν εἰωθότων.

In genere.
1. Magna enim est Visitatorum satietas & nausea: novorum verò affectatio.

Præterea tantam videmus esse iuventutis præsumptionem, ut multi, cùm ad Academias accedunt, omnia se jam probè, etiam ipsis præceptoribus rectius, callere putent. Habent quod in hoc desiderent: habent quod in altero: ita, inquiunt, hæc erant docenda, ita illa: atque hoc pacto, si fortè delicatulis ipsorum auribus, gratum non fit, modum docendi Præceptoribus præscribere non erubescunt. Interim hac præsumptione sua, in lutum ignorantiæ, in quo jamdum altè defixi hærent, altius subinde immerguntur: adeò ut ipsi sibimetipsis, subsequentibus annis, minus atq; minus similes videantur: & tùm demùm suam ignorantiam agnoscant & deplorent, quando optima discendi occasio est amissa. Ita ergò suâ culpa vix meliores, quàm accesserant, abeunt. In quos non ineptè illud Menedemi apud Plutarchum quadrat: Multos, qui studiorum causa Athenas, vel (ut de nostro loco loquamur) VVitebergam tenduni, primùm esse σοφούς: mox tantùm φιλοσόφους: inde vix ῥήτορας: tandemq; ἰδιώτας.

2. Iuventutis præsumptio.

3. Studiorum frigida aut perversa tractatio.

Hæc ergò cum quotidie fiant, an non barbariem inde ominemur?

Auget metum, quòd videmus, multis non esse propositum, solidè aliquid discere, sed superficiali saltem aliqua sublimi eruditione, quam si vili precio emere possunt, egregiam mercem Academicam se feciisse autumant. Si Dialecticam, per Mensem, utcunq; explicari audierunt: et semestri spacio, totam Philosophiam, si Dijs placet, pertractarunt: mox mirè sibi placentes, Philosophos se profitentur. Cumq; alij per multos, imò omnes annos vitæ suæ, multis laboribus & vigilijs, sudoribus & algoribus, vix scalas Philosophiæ admovere possint: isti interea nescio per quos compendiosos, cæcos, ac subterraneos cuniculos, ἀκροπόλιν ejusdem victores occupare, sibi videntur, totam. Disputatiunculas in angulo habitas, sive defensas, sive non defensas, ac contra decreta hujus Academiæ impressas, *domum parentibus, tutoribus, aut patronis mittunt, suámque quam egregiam putant eruditionem ostentant: sæpè etiam ijs imponunt, ut sumptus benè collocatos credant, pluresq; liberaliter suppeditent. Non rarò etiam fit, ut tales præ aliis, longè doctioribus, qui tamen suam eruditionem ita non ostentarunt,* in fraudem & perniciem Ecclesiarum & scholarum, *promoveantur.*

4. Magistrorũ quorundam κενοσοφία.

Quo tamen in genere, non tàm ab illis peccatur, quàm ab eorum Magistris seu Doctoribus, qui superficiali ista eruditione, miseram juventutem, nescio quibus lenociniis inescatam, in angulo illinunt, & semestri spacio Philosophos magno examine emittere promittunt: qui item non ad doctrinam publicam auditores præparant (quas privatim docentium partes esse debere, Leges indicant): sed ab eadem potius, nescio quam compendiosam sapientiam pollicentes, avo-

cant

cant & deterrent: Qui item angularium illarum disputationum impressione, contra decreta Academiæ facta, & cum fraude ac pernicie Ecclesiarum & scholarum coniuncta, φιλαυτιαν juventutis augent. Cui malo, quomodo remedium sit quærendum, Magistratus scholasticus proculdubio providebit.

Neque verò hæc sufficiunt. Inveniuntur (proh dolor) exempla Patrum quorundam, probè (scilicet) liberis suis prospicientium: qui dum filios ad Academiam mittunt, prohibent tractare Philosophica, sed jubent, statim sese exercere in concionando. Stulti illi, non vident, quantum linguis, quantum reliquis artibus liberalibus omnibus, etiam Theologo opus sit. Non vident etiam, hanc suam prohibitionem esse supervacuam & ociosam, cùm jam juventus per se, citra tam stolidam admonitionem perversè studia tractare soleat, & hoc potissimum in Academiis agat, ut conciones excipiantur, postillæ legantur: nihil verò interea fontes græci & Hebræi, artesque curentur. Cum tamen meminisse deberent isti, hoc esse faciendum, & illud non omittendum. 5. Parentum quorundam stoliditas.

Quòd si ergò hoc pacto fundamenta artium in Academiis solidè non discuntur: quis illorum, qui nunc superficiali ista eruditione inunguntur, vel planè etiam linguas & artes contemnunt: quis inquam, in subsequenti seculo, solidè artes & linguas docere poterit? An non barbariem imminere? an non tenebras ingruere ominaremur?

Atque hæc generatim. In specie verò, si de linguis & singulis artibus esset agendum, ex singulis quoque similia indicia sese oblatura essent. In specie.

Breviter, Deum Linguarum *studium, tanquam prodromum Euangelii sui, & artium, superiori seculo, nobis præ* Linguarum neglectus.

miſiſſe, conſtat. Hoc cum jam multis ſordeat, quis non poſt lucem tenebras melueret? præſertim cum experiamur, exteras quaſdam nationes linguarum jam eſſe ſtudioſas: quibus quidem hoc non invidemus, ſed potius gratulamur: Interea autem noſtræ ingratitudini non immeritò metuimus.

Pſeudantiquariorum ineptiæ.

In Grammaticis, *ex orco revocãtur vocabula multis jam ſeculis detrita & obſoleta: & laudi non poſtremæ ducitur, orationem, verbis portentoſis, & penè ipſo ſono horrendis, intricatam & obſcuram feciſſe: & cum matre Evandri locutum fuiſſe.*

Pſeudopoëtarum verboſitas, & in artibus ruditas.

Olim: Poëtarum, Poëtarum inquam, in Germania, magna fuit penuria, ut ſuprà diximus. Hodiè plurimi, quantumvis cætera rudes, verſificando laudem eruditionis captare ſolent: adeò ut plura & majora eorum examina, quam Muſcarum eſſe, trito verbo dicatur. Quorum ego tamen quemvis in ſuo cenſu relinquo. De ÿs autem, qui tantùm vocularum argutias, ſine rerum cognitione jactitant, ſi dicendum eſſet, quod ſentio, dicerem, illos non abſimiles eſſe procis Penelopæ, qui cùm ipſa domina potiri non poſſent, ancillis interèa ſunt uſi. Planè enim eodem modo, tales, dum ad Rerum cognitionem aſſurgere nequeunt, in Verborum, (quæ abſq; Rebus quibus famulantur, exïgui precïj ſunt) ſubtilitatibus vanis ſuperbè gloriantur: cum tamen & verba Rebus, & Res Verbis coniungere deberent.

Logici Termini barbari.

In Dialectica, *multis iam ſordent Ariſtotelici termini, pro quibus non tantum ante 800 annos à Carolo Magno irriſas Entitates, ſed &* Hæcceitates, Perſeitates, Subjectionabilitates, Aptitudinabilitates, *& neſcio quas non* Haſibilitates, *ex Barathro ſcotiſtico revocant, vel ipſi finguni: Adeò nimirum placet eis cœnum barbaricum, in quo ſe volutant,*

præfontibus Aristotelicis limpidissimis. Tametsi ferri posse terminos tales, suo loco & tempore, parcè & cum judicio adhibitos, non diffitemur.

Disputantium αὐτοχώνειον loquacitas.

In disputando multi, quoniam in privatis exercitiis, ad syllogisticas formas non sunt assuefacti, quando ad publica accedunt, Senatorias magis habent declamationes, quàm Logicè formatas argumentationes. Vnde non rarò accidit, ut alter disputantium de aliis, alter de cepis disceptet.

Demonstrationum Sophistica oppugnatio.

Reliquæ artes, etsi ita jam constitutæ sunt, ut & Deo, & viris eruditis digna habenda sit gratia : Non desunt tamen, qui eas etiam demonstrationibus firmatas, at ex ijs, Geometriam saltem & Arithmeticam, ex Euclideis fontibus exstructas nominem, nescio quibus σοφισματίοις, ingrati convellere audent.

Ethica magis theorica quàm practica.

Ethica planè quidem docentur: sed πρᾶξιν in multis desideramus: cum plerig; de virtutibus egregiè quidem philosophentur: vitam autem doctrinæ conformem non ostendant.

Physica principia pro fundamento fidei posita.

Inveniuntur etiam, qui Physicis Principijs, in suo genere verissimis, per μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, perperam, ne dicam impiè arreptis, in sacra volumina involant: & secundum ista hæc interpretantur: Atque perversa tali interpretatione, Filio Dei suam infinitam potentiam, scientiam, & præsentiam, ad particularitatem, imò ferè ad singularitatem restringere non verentur.

Et quis singulos singularum disciplinarum abusus recenseret? Sufficiat hos paucis commemorasse, ut videamus, quantum periculum, rei literariæ in proximo seculo impendeat: quodq; non frustrà metuendum sit, ne Deus, partim ingratitudinem, partim etiam petulantiam ingeniorum, privatione tantæ lucis, quantam hactenus nobis benignè concessit, justè aliquando puniat.

Et quis scit, an non post centum annos, tanta in his terris (quod tamen Deus benigné avertat) barbaries, nostra culpa sit futura, quanta ante centum annos vix fuit? cum non tantùm tædium artium & linguarum nos capiat: sed etiam inanibus futilitatibus, & nescio quibus novantiquis ineptiis, barbariem ultrò accersamus.

Temporum collatio historica.

Et ut hoc quoque non præteream, si historias excutimus, apparet, inde usque à nato Christo, Persicas legationes ad populum DEI, non sine omine fuisse, & semper in insignes motuum cœlestium periodos, imperiorumque mutationes incidisse.

Ita ante 1600 annos, sub conjunctione maxima, Romana Monarchia modò constituta, cum Eccentricitas Solis esset maxima, Persici Magi Hierosolymam venientes, Regem Iudæorum, Messiam scilicet, inquisiverunt, & splendidis muneribus honorarunt, adeoq; Religioni de Messia fidem fecerunt.

Octingentis annis pòst, iterum sub coniunctione maxima, cum Eccentricitas solis jam in medietate versaretur, & Imperium ad Germanos transferretur: iterum Legati Persici, Padebornæ VVestphaliæ, Carolo Magno, preciosissima munera obtulerunt, & inter illa automatum horarium, machinam antea in Germania nunquam visam, ad cuius imitationem Carolus ilia fabrefieri postea curavit: atque ita artium, præcipuè Astronomiæ semina, in Germania sparserunt, quæ postmodum maiora subinde incrementa acceperunt.

Rursus octingentis annis pòst, hoc est, anno Christi proximo 1600, postquam eadem maxima coniunctio iterum ad caput rediit, & Eccentricitas solis iam in minimis terminis versatur, omniaq; in toto Imperio Romano motibus intestinis & extraneis agitantur: Ecce iterum Persici Legati Augu-

stiſs: RHODOLPHVM II, Pragæ multis & ſplendidiſſimis honorarijs affecerunt. Ac licet iſta Legatio proculdubio ob alias graviſſimas cauſas facta fuit: tamen metuendum eſt, ne artes, jam per octingentos annos, nobis ingratis & iniquis poſſeſſoribus conceſſas, tacitè quaſi repetere voluerit: quibus à nobis ſublatis (quod Deus prohibeat) denſæ tenebræ Religioni ingruerent.

Denig; ſi Turcicam rabiem, ſi Ieſuiticam in Chriſtianum ſanguinem crudelitatem, ſi clancularioru̇m veritatis hoſtium technas, ſi ingeniorum malè feriatorum petulantiam, ſi etiam, quod maximum eſt, ingratitudinem noſtram conſidero, metuo certè: metuo, inquam, ne.

Tacebo. *Nolo malè ominari. Quinpotius ad preces confugio, &* Te Omnipotens, æterne, ac miſericordiſſime Deus, Pater, Fili, & ſancte Spiritus, eximo pectore oro, ut lucem Verbi tui, Artiumque liberalium & Lingvarum inter nos clementer conſervare, & ad poſteros noſtros propagare velis, nec ſinas eam propter ingratitudinem noſtram exſtingui, aut ſcholam hanc diſcordiis diſtrahi, vel bello, peſte, fame, aliiſve calamitatibus diſſipari. Miſerere noſtri ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum miſerationes tuas multas, dele noſtras iniquitates. Crea in nobis cor mundum, & rectum ſpiritum in viſceribus noſtris innova. Serva nobis hos alveolos, in quibus Iuventus in timore tui, & artium ac virtutum ſtudio educetur. Serva noſtros Patronos ac Nutritios, Illuſtriſsimos Saxoniæ Principes, in primis Illuſtriſsimum noſtrum Electorem CHRISTIANVM Secundum, unâ cum illuſtriſsimis Fratribus, Domino IOANNE GEORGIO, & Domino AVGVSTO, Academiæ noſtræ Rectore Magnificentiſsimo, Illuſtriſsi-

mis quoque, Domina Matre ac Sororibus, adeoq; cum tota familia Saxonica, ut sub Illustris: ac Christianissimi nostri Magistratus tutela & patrocinio, & sacræ & profanæ doctrinæ, purè doceantur & propagentur. Rege docentes & discentes in hac schola, ut ea faciant, quæ tibi sunt grata, Ecclesiæ & Reipubl. utilia, & nobisipsis salutaria. Reprime & infringe omnes conatus ingeniorum inquietorum, præcipuè autem furores Turcarum, & cruenta consilia Esavitarum, ne Halcyonia nostra, quibus tua gratia hactenus fruimur, nobis interturbent: multò minus hanc scholam, quæ sudes illis est in oculis, unquam vastent aut aboleant. Denique largire nobis omnibus, ut simus vasa tuæ gratiæ & misericordiæ, Teq; nunc & in infinitum, infinitis laudibus celebremus, per temetipsum, tuamq; gloriam sempiternam, A M E N.

DIXI.

LECTORI.

QVum Iubilæi, amice Lector, nuper ſolenni ritu celebrati actis publico Vniverſitatis nomine conjunctim edendis, alia quædam ſimilia & cognata ſcripta adjungi debere, & in eorum numerum etiam ſequentem Rectoralem inaugurationem non incommodè referri poſſe viſum ſit: utpote quæ ſub initium anni ſecularis facta, & ſolitæ præfationis loco Illuſtriſsimorum Academiæ Rectorum per lapſum primi centenarii brevem recenſionem, & prætereà in fine commune votum pro ſalute Academiæ & læta appropinquantis ſecularis feſti celebratione (cuius voti benigniſsimus Deus abundè nos fecit compotes) contineat: eam unà cum ſubjecto Indice eorum, qui primo illo centenario extra profeſſores magiſtratu Scholaſtico functi ſunt, ex matricula deſcripto, typis repeti & modò memoratis ſcriptis aggregari facilè paſſus ſum: idq; tibi, Lector benevole & candide, non ingratum fore confido. Benè vale & ſalve plurimùm.

B. Reuſn. D.

Illustrissimi Generosissimiq; Principis ac Domini,

DN. AVGVSTI

DVCIS SAXONIAE,

POSTVLATI ADMINISTRATORIS Naumburgensis, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Misniæ: VVitebergensis Academiæ RECTORIS magnificentissimi solennis renunciatio, XVI Octob. die, anno Christi MDCI in templo arcis facta &

SERENISSIMI ELECTORIS, Fratris ac Tutoris, pridiè renunciationis homagium ab Academia, Nobilitate & Plebe ditionum Electoratus suscipientis, speciali iussu biduum anticipata,

BARTHOLOMAEO REUSNERO
U.I.D. & Digesti Veteris professore,
magistratu Scholastico abeunte.

VOd ab Opt. Max. & Trinuno DEO ſupplicibus votis ſemper precati ſumus, ut Academiæ noſtræ indies magis magisq; benedicere, & eius incrementa promovere dignaretur: id quidem ante hac etiam ſatis abundè, hoc autem primo decimi ſeptimi Chriſtiani ſeculi anno, ingenti omnium noſtrûm cum gaudio cumulatiſſimè præſtitit. Vt enim taceam duo illa, quæ nobis Divino munere hactenus fuêre ac etiamnum præſto ſunt, Literarum doctrina & Religionis veritas: ut aëris, quem hoc anno ſalubrem hauſimus, ſanam temperiem, & aliorum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariorum ſufficientiam præteream: ſileam quoque cœtus Academici frequentiam eximiam & adhuc quotidiè accreſcentem: honores denique non recenſeam literarios, ab omnibus fermè Facultatibus hoc anno erogatos, aut propediem erogandos: ut hæc, inquam, omnia ſilentio nunc involvam, alioquin magna & prædicanda: Quanti quæſo primùm æſtimare debemus illud, quòd ſuperiori vere Illuſtriſſimus Generoſiſſimusq; Princeps ac Dominus, Dominus AVGVSTVS, Saxoniæ Dux, poſtulatus Adminiſtrator Naumburgenſis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, Dominus noſter benigniſſimus (quem animo & corpore ad ſummam uſque gratiam florentem, & hic in medio noſtri conſtitutum, ſubmiſſè veneramur ac ſuſpicimus) Academiæ hujus civis & membrum effectus eſt? Ob cujus ſplendidiſſimam præſentiam hæc noſtra Academia inter vicinas caput ſuum tantùm efferre cœpit, quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Quanti deinde æſtimabimus alterum illud hujus anni beneficium, quod idem æternus & omnipotens DEVS, nuper adeò & nondum exacto menſe, benigniter ac

paternè hisce regionibus & provinciis, ac unà Academiæ nostræ largitus est? Quum nempe Illustrissimus Celsissimusque Princeps ac Dominus, Dn. CHRISTIANVS II. Saxoniæ Dux & nunc Elector florentissimus, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, Burggravius Magdeburgensis &c. Dominus noster clementissimus, in legitimæ ætatis portum feliciter appulit: & non tantum suæ tutelæ Ipse effectus, sed unà (quod felix faustumq; Ecclesiæ suæ, & toti Christianæ Reipub. denuò Altissimus esse jubeat) subditorum suorum tutelam suscipiens, longè amplissimæ in Romano Imperio dignitatis ac provinciæ, à Divis Majoribus suis longissima familiæ serie in se propagatæ, capax, plenèq; compos & dominus constitutus est. O faustum & fortunatum nuperum illum IX. Calend. Octobris diem, quem olim Octavij Cæsaris AVGVSTI primi Romanorum Monarchæ natalem existentem, Illustriss. Celsitud. Suæ annis ab hinc decem & octo, itidem manè ante Solis exortum, vitæ, & nunc culminis illius atque dignitatis Septemviralis natalem esse contigit! Sanè hoc DEI beneficium, ut omninò ingens est & maximum, ita pleno ore prædicandum est: nec res & verba deessent, si præsentis instituti ratio, aut præscripti temporis angustia pateretur. Interim quod heri ante Homagij præstationem totius Academiæ nomine ex intimo fidi pectoris penetrali benè precatus fausteq; ominatus sum, DEVS ter Opt. Max. effectum reddere dignetur, & præterea clementer largiri, ut Illustrissima sua Electoralis Celsitudo, præter & ultra laudatissimorum suorum Majorum inter cæteros ex antiquioribus celebriorum Misniæ Marchionum, CONRADI Magni, HENRICI Illustris ac Munifici, FRIDERICORVM Fortis Gravis & Sirenui, æternam famam & gloriam: primi ex ijsdem Saxoniæ Electoris, Tritavi sui, FRIDERICI Bel-

licoſi (qui ob fidele contra rebelles Bohemos SIGISMVNDO Imperatori præſtitum auxilium, in ſuo per vetuſto, & Regio ſtemmate, non ſolùm avitum Saxoniæ Ducum titulum, qui paſſim ad alias familias huic non agnatas ab Imperatorum Saxonicorum obitu evagatus erat, ad legitimos hæredes feliciter revocavit : ſed etiam dignitatem aliam, Septemviralem nimirum, titulo ſuo Saxonico annexam acquiſivit, contra invidiam, quoad vixit, ſtrenuè defendit, & ad poſteros, adeoq; nunc divinâ favente gratiâ ad decimum uſque inclytæ huius familiæ Electorem Trinepotem ſuum propagavit) virtutem ac felicitatem : atavi FRIDERICI, cognomento Placidi, manſuetudinem atque clementiam : abavi ALBERTI, qui ab invicto animi robore, & rerum, quas pro dignitate Germaniæ & Patriæ ſalute geſſit magnitudine, Animoſus & Hector Teutonicus, nec non Dextera manus Imperii appellatus eſt, Heroicum robur ac fortitudinem : HENRICI proavi pietatem, & repurgatæ Religionis ſincerum ſtudium : avi AVGVSTI, Principis illius verè Auguſti, prudentiam & auctoritatem admirandam : CHRISTIANI denique patris eximium decus & ſplendorem, cum ſingulari Iuris ac Iuſtitiæ amore conjuncta, aſſequatur : partamq; & longa ſerie propagatam à Majoribus & Parentibus modò commemoratis, nec minùs à Latere junctis, MAVRITIO Electore patruo magno, GEORGIO propatruo, ERNESTO Electore abpatruo, FRIDERICO item Sapiente, IOHANNE Conſtante, & IOHANNE FRIDERICO Magnanimo Electoribus, abpatrui filijs & nepote, huiuſq; liberis, ac in his FRIDERICI GVILIELMI Electoratus nuper Adminiſtratoris ac Tutoris fideliſſimi, Principis pientiſſimi prudentiſſimiq;, inſignem gloriam DOMVS SAXONICAE, non tantùm integram & indemi

nutam

nutam conſervet, & ad ſuam quoque poſteritatem tranſmittat, ſed multùm præterea augeat & amplificet. Quod omne Illuſtriſſ. Ipſius Electorali Celſitud. nos omnes & ſingulos, cum ſubjectiſſima gratiarum actione pro auguſtiſſima præſentia, ex toto corde precari, omninò fas & æquum eſt.

Præter hoc ingens DEI beneficium, huic Electorali & reliquæ univerſæ ditioni Saxonicæ commune, aliud & tertium hodiè offertur divinitùs, Academiæ noſtræ proprium, eiuſque reſpectu & contemplatione æquè magnum: cujus explicandi & in apertam lucem ſtatuendi causâ in hoc ſacro & ſolenni loco ſolenniter convenimus. Illuceſcet nobis cum Sole perendino dies Lucæ Evangeliſtæ ſacer, idemq; Academiæ noſtræ ante nonaginta novem annos natalis. Hoc enim die, Anno CHRISTI milleſimo quingenteſimo ſecundo, laudatiſſimæ felicisſimæq; memoriæ Elector FRIDERICVS ejus nominis Tertius, ob ſingularem prudẽtiam miramq; animi ſagacitatem, qua præcæteris ſui ſeculi Principibus excelluit, cujusq; in CAROLI V. Imperatoris electione, perinde ut ipſius atavus FRIDERICVS Gravis in CAROLI IV. Imperatoris deſignatione, perpetuò commendabile ſpecimẽ edidit, SAPIENS cognominatus, hoc pietatis & bonarum literarum phrontiſterium auſpicatiſſimè aperuit. In cujus rei ſolennem memoriam tunc conſtitutum eſt, ut quotannis hic natalis Academiæ celebraretur, eodemq; die novus Rector, qui hybernis menſibus Reipub. literariæ præeſſet, nec non Decani ſingularum diſciplinarum ſive Facultatum crearentur. Id hac vice ex ſingulari cauſa cur aliquantulum anticipetur, heri programmate ſignificatum, & nunc in propatulo eſt. Vſu etiam in hac noſtra Academia jam inde ab ejus incunabilis receptum fuit, ut Magiſtratus Scholaſticus, Profeſſorum alioquin juxta Facultatum ac in Senatum receptionis ordinem proprius, &

quo

quo per integrum proximum decennium cum semestri absque interruptione functi sunt, Principibus & alijs Heroicis juvenibus, studiorum causa ibidem commorantibus & isto loco dignos sese ostendentibus, exemplo aliarum Christiani orbis Academiarum interdum committeretur. Constatque ex Academiæ monumentis publicis, triginta & unum Illustrissimos, Illustres, ac Generosos Academiæ nostræ Rectores hactenus extitisse: & quidem ex Palatina & Saxonica Electoralibus, Brunsuicensi & Luneburgensi, Pomeranica item, Ducalibus prosapijs, Principes octo: ex Barbiensi, Ebersteinensi, Reinsteinensi, Schlickiana, Stolbergensi, Gorcana, Nassauiensi, Solmensi, Hardecciana, Comitum familijs, Comites undecim: ex Vngnadiorum, Starenbergiorum, Donaviorum, Polheimiorum, Lobcovvitziorum, Pudlitziorum, Slavatarum, Schleinitziorum, Ranstorum, & Promnitziorum in Silesia, Baronum satu, Barones duodecim, cum uno atque altero è nobilium genere. Ac ut nunc Principum saltem aliquam specialem mentionem breviter injiciam, in Illustrissimorum numero reperitur primus, GVOLFGANGVS Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux &c. insignium Ecclesiarum Cathedralium Herpibolensis, Augustensis, Spirensis & Argentinensis Canonicus, qui anno millesimo quingentesimo decimo quinto per ætatem Rector extitit, ac propter prudentiam, doctrinam & integritatem magna denique in existimatione fuit, donec anno quinquagesimo septimo, Sexagenario maior, Novi fori in Palatinatu superiori, placido & beato fine vitam clausit. Quadriennio post hunc, anno nempe decimo nono, itidem per ætatem, inclyti hujus studij sceptra tenuit BARNIMVS, Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiæ, Slavorumq; Dux, Princeps Rugiæ, &

Comes Gutzkoviæ: qui divisione postea cum fratris GEORGII *filio* PHILIPPO *facta, Stetinum cum inferiori Pomerania obtinuit, & anno demum septuagesimo tertio, in castro Odersburgo, ipse septuaginta & duorum annorum senex, insigni pietate, eximia prudentia & amore literarum clarus, ex hac vita decessit. Tertius in ordine Princeps extitit* IOANNES ERNESTVS *Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Misnensis, inclyti & optimi Principis Electoris, Ducis* IOHANNIS *(qui cum alijs glorioſi nominis Protestantibus, eorundem Coryphæus,* CAROLO V *Imperatori potentissimo, in magnis illis Imperij Comitiis Augustæ Vindelicorum anno millesimo quingentesimo tricesimo habitis,* CONFESSIONEM FIDEI, *Augustanam inde denominatam, Ecclesiarũ ex Papatu reformatarum longè lateq; celeberrimum symbolum, summa pietatis & constantiæ cum laude exhibuit) filius, &* IOHANNIS FRIDERICI *Electoris (commendabili ad extremum usque vitæ periculum animi magnitudine eandem postea propugnantis) frater, anno* trigesimo quarto *per hyemem Rectoris officio functus, & pòst anno quinquagesimo tertio in ipso virilis ætatis flore Coburgi in Franconia solo natali vitâ defunctus. Ei in magistratu continenter æstate insequenti Anno* trigesimo quinto *successit Quartus,* ALBERTVS *Dux Brunsuicensis & Luneburgensis, qui anno undecimo pòst in bello Germanico, quod Protestantium vocant, ad Nordlingam Suevorum pro Religione & Patria fortiter dimicans gloriosè occubuit. Quintus & Sextus, anno* sexagesimo tertio *per hyemem, & sequenti* sexagesimo quarto *per æstatem sibi invicem succedentes, fuêre* ERNESTVS LVDOVICVS & BARNIMVS *fratres, iterum Duces Pomeraniæ: quorum iste serenissimæ tuæ Matris,* AVGVSTE *Prin-*

ceps generosissime, sororius, nunc post obitum IOHANNIS FRIDERICI fratris, tuæ itidem serenissimæ Matris sororij, rerum Stetini & in inferiori Pomerania summa cum prudentiæ & dexteritatis laude potitur. Septimus denique & Octavus extitère, Anno octuagesimo octavo per æstatem & hyemem sese invicem similiter mox insequentes, ERNESTVS & AVGVSTVS fratres, Duces Brunsuicenses & Luneburgenses, T. Celsitud. inclyte Dux AVGVSTE, à Regio communi stipite cognati propiùs sobrinis: quorum ille ERNESTVS, post patris GVLIELMI optimi Principis obitum, paternarum ditionum gubernationem susceptam magno cum prudentiæ laude continuat: alter AVGVSTVS, Literis & Armis conjunctim veram gloriam quærendam existimans, militiam & grave Martis opus deinceps secutus, jam aliquot eximia bellicæ virtutis experimenta dedit. Quos tres postremos Academiæ nostræ superioribus annis Rectores verè magnificos, & adhuc superstites, BARNIMVM nempe Pomeraniæ, & ERNESTVM atque AVGVSTVM Brunsuigæ & Luneburgi Duces, ut æternus DEVS diu salvos ac incolumes suis provincijs & toti Germaniæ conservet, meritò rogandus est. Inprimis autem eidem æterno & omnipotenti DEO gratiæ suppliciter agendæ sunt, quòd non tantùm hactenus tot insignia Academiæ nostræ decora concessit: sed quòd ita clementer & benignè hanc scholam etiamnum hodie respicit, ac simili imò exsuperantiori quodammodò decore ornat & illustrat. Significo enim (quod tertium illud paulò antè memoratum Academiæ nostræ proprium beneficium est) vobis quotquot adestis, Academiæ nostræ cives, omnibus & singulis: postquam superioribus diebus Illustrissimo Generosissimoq; Principi ac Domino, Domino AVGVSTO, Saxoniæ Duci &c. Domino nostro benignissimo, fasces scholastici debita cum reverentia à Senatu

Academico oblati sunt, ac hodie in vicino hierophylacio majorum more electio per scrutinium solenniter iterata: Celsit. S. interveniente Fratris ac Tutoris, Illustrissimi Celsissimique Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI II. Sacri Romani Imperij Archimarescalli & Electoris serenissimi, Burggravij Magdeburgensis, Domini nostri clementissimi auctoritate, electionem illam nostram clementer approbasse, & oblatam magistratus Academici conditionem accepisse: adeoq; superesse nunc hoc unicum, ut Academici senatus electio publicâ magnificentissimi novi Rectoris renunciatione & solenni investitura effectui tradatur, à me, magistratu scholastico abeunte, secundum leges & statuta, amplissimi Senatus jussu deinceps expediendum. QVOD igitur felix & faustum sit, Academiæ nostræ honorificum & salutare, in corona hac augustissima splendidissima & amplissima, modò memoratum Illustrissimum Generosissimumq; Principem ac Dominum, Dn. AVGVSTVM SAXONIAE DVCEM, POSTVLATVM ADMINISTRATOREM NAVMBVRGENSEM, LANDGRAVIVM THVRINGIAE, MARCHIONEM MISNIAE, qui Patrem & utrunque Avum, ut ulteriores sileam, Fratremitem Sacri Romani Imperij Septem-viros laudat, Ipse quoque florentissimæ spei & expectationis Princeps est, Magnificentissimum Academiæ nostræ Rectorem *publicè renuncio & proclamo, Ejusque Celsitudini, in proximum hybernum semestre, Virum Clariss. & Doctiss. Ernestum Hettenbachium Medicinæ Doctorem & Professorem publicum, pro recepto Academiæ more additum Vice-rectorem esse significo*, In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus sancti. *Trado præterea Celsitud. Tuæ, inclyte Dux AVGVSTE, renunciate modò Academiæ Rector magnificentiss-*

centissime, insignia magistratus scholastici, argentea duo Sceptra, librum Statutorum, Sigillum, Claves: Epomide etiam sive superhumerali Celsitud. Tuam investio, quo anno ab hinc sexagesimo septimo, hoc eodem mense, biduo tamen pòst, suprà memoratus Illustrissimus Saxoniæ Dux IOHANNES ERNESTVS, Patrui tui maximi ERNESTI Electoris ex filio IOHANNE itidem Electore nepos, ac idem Electoris paulò antè demortui filius & rerum tunc potientis frater, annum ætatis agens similiter decimum tertium, solenniter in vestitus est. Et denique, PRINCEPS Illustrissime, RECTOR Magnificentissime, Domine benignissime, Celsitud. & Magnif. T. de suscepto magistratu Academico submissa cum devotione gratulor, Eidemque cœtum nostrum Scholasticum Collegarum meoque nomine commendo, ac ut eundem & nos omnes, adeoq; conjunctim Docentes & Discentes, sua clementia & benignitate complectatur, subjecta cum reverentia oro & obsecro. Vos autem Academiæ Cives omnes & singulos, quotquot magno numero & commendabili frequentia adestis, seriò hortor & moneo, ut hoc eximium DEI beneficium, quo hodierno die Academia nostra affecta est, unà cum superioribus gratâ mente agnoscatis & recolatis, Celsissimo & Magnificentissimo vestro novello Magistratui Scholastico debita animi submissione & subiecto obediendi studio occurratis, omnesq; vestras actiones ita instituatis, ut vos revera Deum timere & Regem honorare appareat: ne sua magistratui & legibus obedientiâ non præstitâ, legum pœnas, ad quorum alterutrum obligamini, meritò incurratis. Hoc verò ne fiat, faxit ille, qui utrumque, ut oculus videat, & auris audiat, solus efficit, teste Solomone, omnium, quos Sol unquam aspexit, Regum sapientissimo. Quod superest, oro FILIVM DEI Dominum nostrum IESVM CHRISTVM,

ut ſicut Eccleſiæ ſuæ ſummus Sacerdos & perpetuus præſes eſt. ita Academiæ quoque noſtræ ſupremus Rector & perpetuus protector ſit: totamq; ſequentem gubernationem ſcholaſticam, & ſingulas eius partes, ita clementer dirigat ac fortunet, ut ad Divini ſui nominis gloriam, Eccleſiæ ac Reipub. Chriſtianæ ſalutem, & Academiæ noſtræ incrementum potentemq; ſtatum evidenter tendat, ac feliciter cedat: quò tandem iſto etiam, quem CENTESIMVM ætatis ſuæ annum, adeoq; Iubilæum Secularem primum, Academia noſtra perendie ingreſſura eſt, proſperè decurſo, ſub finem primi & initium ſecundi Academici ſeculi, eò lætius Seculare Carmen pangamus, & alacriori voce concinnamus.

——————— bona, jam peractis,
lungite fata,

INDEX

Principum, Comitum & Baronum, qui superiori Academiæ seculo RECTORIS dignitatem in eadem obtinuerunt.

MELCHIOR *Comes de Barby & Mulingen, insignis Ecclesiæ Cathedralis Argentinensis Canonicus, Anno Domini* 1510 *per Hyemem.*

GVOLFGANGVS Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux, &c. insignium Ecclesiarum Cathedralium, Herbipolensis, Augustensis, Spirensis, nec non Argentinensis Canonicus, Anno 1515 per Aestatem.

BERNHARDVS Comes de Eberstein, insignium Ecclesiarum Treverensis & Argentinensis Canonicus, anno 1515 *per H.*

VDALRICVS Comes de Reinstein Dominus in Planckenburg, anno 1516 *per Aest.*

BARNIMVS Stettinensium, Pomeraniæ, Cassubiæ, Slavorumque Dux, Princeps Rugiæ & Comes Gutzkoviæ, anno 1519 per Aest.

CHRISTOPHORVS SCHLICK Comes in Bassavv, Dominus in Veiskirchen, Elbogen & Falckenavv, Anno 1520 *per H.*

GVOLFGANGVS Comes & Dominus in Stolbergk & VVernigerode, Halberſtadenſis & Numburgenſis Eccleſiarum Præpoſitus, anno 1521 per Aeſt.

VLRICVS SCHILLINGVS à Canſtadt, Pincerna Ducatus Sueviæ, Anno 1531 per H.

IOHANNES ERNESTVS Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Miſnenſis, inclyti & optimi Principis Electoris, Ducis IOHANNIS filius, Anno 1534 per H.

ALBERTVS Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis, Anno 1535 per Aeſt.

CASPAR VLRICVS Comes à Reinſtein, & Dominus in Blanckenburg, Anno 1553 per H.

STANISLAVS Comes in Gorca, Caſtellanus Brzeſtenſis, & Capitaneus Buſcenſis, Anno 1554. per H.

CHRISTOPHORVS Comes in Barby & Dominus in Mulingen, Comitis VVolffgangi, quinque Saxoniæ Electorum Conſiliarij integerrimi filius, Anno 1555 per Aeſt.

MELCHIOR FASOLT à Schlesdorff, Anno 1556 per H.

DAVID VNGNAD Baro de Sonneck & Frauvenburg, Anno 1557 per Aeſt.

ADOLPHVS Comes in Naſſavv, Catten Elbogen, Vianden & Dietz, Anno 1558 per Aeſt.

HEINRICVS Baro à Staremberg, anno 1558 per H.

CHRISTOPHORVS Baro à Donavv, anno 1559 *per Aest.*

ERNESTVS LUDOVICUS Dux Sedinorum, Pomeraniæ, Cassubiorum & Henetorum, Princeps Rugiæ, Comes Caycorum anno 1563 per H.

BARNIMUS Sedinorum, Pomeraniæ, Cassubiorum & Henetorum Dux, Rugiæ Princeps & Comes Caycorum, anno 1564 per Aest.

IOHANNES GEORGIVS Comes in Solms, Dominus in Muncenburg & Sonnevvald, Anno 1564 *per H.*

SIGISMVNDVS LVDOVICVS Austriæ Baro in Polheim & VVartenburgk, anno 1565 *per Aest.*

BOHVSLAVS IOACHIMVS Baro à Lobcovvitz & Hassenstein, Dominus in Litzkouv, Anno 1569 *per Aest.*

STEPHANVS GANS Baro in Pudlitz, Marchiæ Brandenburgensis Marescallus hæreditarius, Anno 1570 *per Aest.*

MICHAEL SLAVATA Dominus à Chlum & Cossenberg, anno 1571 *per H.*

IOHANNES Comes in Hardeck Glotz & Machland, Baro de Statemberg, Dominus in Kreuzingen, hæreditarius pincerna Archiducatus Austriæ & Dapifer Stiriæ, in Letovviz anno 1572 *per H.*

IOHANNES CYRIACVS Liber Baro in Polhaim & Vartenburg, anno 1575 *per Aest.*

ANDREAS VVOLFGANGVS Baro Austriacus in Polhaim, anno 1576 *per H.*

LADISLAVS Schleinitz Baro, anno 1579 *per H.*

ERNESTVS Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis, anno 1584 per Aeſt.

AVGVSTVS Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis, anno 1584 per H.

FRANCISCVS Banffi Lonſonci, Comes Dobecenſis, anno 1588 per H.

VVIGHARDVS Liber Baro à Promnitz, Dominus in Pleß, Sora, Tribell, & Hojersvverda, anno 1590 per H.

AVGVSTVS Electorum CHRISTIANI filius, & AVGVSTI nepos, Saxoniæ Dux, poſtulatus Adminiſtrator Naumburgenſis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, VVitebergenſis Academiæ RECTOR Magnificentiſsimus XVII. Cal. Nov. anno MDCI. Academiæ Iubilæo-ſeculari primo ineunte, ſolenniter renunciatus: cujus Magiſtratus & gubernatio, quemadmodum cœpit, ac primum & ſecundum Academiæ ſeculum feliciter conjunxit, ut ſalutaris eſſe pergat, faxit æternus DEUS benedictus in ſeculorum ſecula.

Eiusdem.

IN ACADEMIÆ VVI-TEBERGENSIS NATALEM-SECULAREM primum, decimi-septimi Christiani seculi diem Lucæ alterum, feliciter illucescentem acclamatio & Votum.

SAlve festa dies, decimi ter-senaq; salve
Mensis lux, divo LVCAE solennis & unà
Nostræ Academiæ, cujus natalis haberis.
Salve festa dies, & nunc centesima salve
Annua lux LVCAE, qualem non vidimus antè
Qui sumus & fuimus: neq; tu VVITEBERGA, deinceps
Vt verò videas per secula multa, precandum est.
Salve festa dies, tuq; ô celeberrime salve
Dux FRIDERICE, sacri Imperii septemvir & heros
Inclyte: cui satis haud tanto de sanguine nasci,
Tamq; altum tenuisse gradum cum laude suprema,
Ni simul augustum SAPIENTIS nomen haberes.
Tu nostræ primus verè sapientibus orsis
Fundamenta scholæ posuisti, non sine certo
Numinis afflatu, docuit velut exitus ingens.
Nam quæ principiò centenosq; ante Novembres,
In cunis jacuit tener & sine viribus infans:
Tantum animū sumpsit mox primo in flore juventæ,
Ausa sit ut mitram Romani præsulis, illam
Banno terribilem mitram, triplicemq; tiaram
Attrectare, nefas ingens & morte piandum,

Si non incolumem voluiſſent fata DEVSq;.
Incolumem voluêre: Albæ ceu Roma ruinis,
Sic Romæ crevit rurſum noſtra Alba ruinis.
Salvete & reliqui virtutis laude celebres
Omnigenæ, verâ illuſtres pietate fideq́;
Saxonici proceres, genus alto à ſanguine Regum
Saxoniæ antiquæ: manibus qui poſt modò veſtris
Exceptam conſervaſtis, fundaſtis, acerbo
Collapſam bello rurſum inſtauraſtis, eandem
Exornaſtis & amplificaſtis, confirmaſtis.
Salvete ô ſanctæ exuviæ, cineresq́; beati!
Veſter ſemper honos, nomen, laudesq́; manebunt.
At tu, Saxoniæ modò qui moderaris habenas, (dc,
Magni magna patris ſobolesCHRISTIANE Secun-
Enſifer Imperii, & qui nunc primũ atq; ſecundum
Secla Academiæ connectis nomine fauſto,
Cum bino parili viridantis germine Rutæ
Vive valeq́; diu, noſtrumq́; fovere benignè
Divorum exemplo majorum perge Lycéum.
Et facies. nam quæ feſto celebramus honore
Sacra modò, poſtquam centeſimus exiit annus,
Inter odoratam laurum & convivia læta;
Auſpiciis ſumptuq́; tuo celebramus ovantes,
Muneris omne tui eſt, clementis & omne favoris.
Tu quoq́; chara parens, dulcis nutricula, quâ vix
Clarior ulla audit nunc inter Teutonas, iſto
Flore tuo gaude: decurſis hactenus annis
Adde alios centum, atq; alios ſuperaddito centum,
Et ſuperadjectis centena tot addito rurſum,
Quot numerabuntur, donec volvetur hic orbis.
Depoſitum inprimis magni tueare LVTHERI,

Et docti ductum methodumq; ſequare PHILIPPI:
Non illo major, non iſto doctior alter,
Seq; pares cenſent ſoli væſanus & excors.
Hi tibi præ reliquis hanc famam conciliârunt,
Hi tantum decus, hi laudem peperêre perennem:
His igitur memorem & gratam te oſtende viciſsim,
Et genuina horum veſtigia ſemper adora.
Arbitra ſic veri perhibebere dogmatis uſq;,
Et conſervatrix ſinceræ relligionis:
Diſcet & illa tui multùm ſtudioſa juventus,
Quod rectũ & ſolidũ, quod & utile, quodq; neceſſ.
Diſcere, quisquiliis, tricis, apiniſq; relictis, (sũ eſt
Et fuco prægnante leviq; ſophiſmate ſpreto.
O DEVS, ô trinune DEVS, cui gratia prima
Pro tanto referenda bono eſt, quiq; unicus illud
Conſervare potes nobis, pia vota ſecunda,
Atq; tùam cauſam libertatemq; tuorum
Quos ſemel eduxti tetra Babylone, tuere
Papatus contra rabiem Sathanæq; furores,
Vt tua perpetuum tibi gloria conſtet in ævum.
O Pater, ô Fili, ô ſanctum Spiramen, adeſte
Propitii & FATIS BONA IVNGITE FA-
TA PERACTIS.

B. R. D.

DEcantant Vates decurſi tempora ſecli:
Albiacæ quæ nunc imminuêre ſcholæ.
Prodiit hinc verbi divini ſplendor obortus,
Fulgure qui complet Solis utramq; domum.

Hic ſedem pietas fixit, virtuſq; fideſq;:
Dum præſes claras magne Luthere faces,
Hanc ſerva incolumem vaſti moderator olympi:
Machina cum mundi non liquefacta manet.

VVolfgangus Hirſbach I. V. D.
& Digeſti Infortiati & novi P.P.

PRoſtituat cœlum venale, Poloq́;, Ereboq́;,
Imperet, ille orbis crimen onusq́; Papa,
Aurato quoties pandit ſacraria Petri
Malleolo, & divûm jactat ineptus opes:
At nos emenſo, per tot diſcrimina, ſeclo,
Qui ſumus in caſtris Leucoris almatuis,
AEterno ſoli (quid enim fabrçfacta precemur
Numina?) libamus vota preceſq́; Deo,
Servet ut inter nos divini oracula Verbi,
Quod certam cœli monſtrat ad aſtra viam,
Vtq́; pharetrati, qui fulmina ſpirat & enſes
Nos contra, Turcæ colla ſuperba premat.
Et quia Saxoniæ, genus alto à ſtemmate regum,
Hoſpitium Muſis hîc poſuere Duces;
Illorum memorat laudes (cum ſolvere grates
Non queat) Albiacæ concio docta ſcholæ.

Matthias Groß I. V. D. & Collegij juridici Adjunctus.

FINIS.

CORRIGENDA.

D. fac. b. lin. 10. Augſpurgiſcher/ E iiij. fac. b. lin 3. an lin. 21. redliches/ F. lin. 5. Predigt. lin. 24. Doctor/ F fac. b. li. antepenult. hochgerühmet/ F. ij. lin. 21. Gefengnüß lin. ult. fleiſch ober euch/ G ij. fac. b. in marg. lin. 5. Curia/ G iiij. lin. 9. Pantheni/ H lin. 23. Teutſchland/ J. fac. 2. in marg. lin. 3. Iubilæum/ J ij lin. 3. fhr/ J iiij. fac. b. lin. 7. Diſticho/ K ij. lin. penult. Indulgentz fac. 2. lin. 22. das/ K. iij. fac. b. lin. 24. ſondern/ L ij. fac. 2. lin. 10. das wort/ L iij. lin. 19. Es/ L iiij. fac. b. lin. ult. Conſtantini/ M ij fac. b. lin. 3. anzuruffen/ M iiij. lin. 22. Reformation/ fac. b. l. 6. Elyiſchen.

P 2. lin. 13. tum, P 4. lin. 16 iliade, Q. lin. 6. ſunt, fac. 2. lin. 20. poterat, Q 3. b verſ. 7. capti. Q 4. v. 4. 5. 6. l. abſorpta, quas. opis humanæ eſt! R v. 8. dele punct. R 2. v. 19. ſolido. R 2. b. v. 9. ſimiliq́: p. R 3. v. 26. ungue, H. R 4. v: 20. Manus de hic. S. 4. lin. 7. aberrationes. T fac. 2. verſ. 3. ſuperexcitato, T. 2. v. 6. Provehe verſ. 15. tota curis, V 4. lin. 16. ἀγαθὸα fac. b. lin. 3. poſſunt, X fac. b. lin. 28. germanusq́, X 2. lin. 20. Stanpicÿ lin. pen. mania fac. b-lin. 18. delicet. li. 6. 26. Tubinga, X 4. lin. 16. illuſtrioremq́, Y fac. b. lin. 6. augmentavit, Z lin. 5. eſt, qua, Z 2. lin. 6. dibus ſuis, Z. 4. lin. 20. tigrides, Aa lin. 21. Candidatos. Aa 4. lin. Occupet. fac. b. lin. 7. indicebatur lin. 27. obligent, Bb. lin. 21. mensem. fac. 2 lin, 8, exorſi lin. 12. decimus, ibid. novilunÿ.

Bayerische Staatsbibliothek München